



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae Et Decreta Innocentii Papae I. Ex libro pontificali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918



ANNO
CHRISTI
402.

VITA, EPISTOLAE ET DECRETA INNOCENTII PAPÆ I.

Ex libro pontificali.



INNOCENTIUS natione Albanensis, ex patre Innocentio, ^b sedit annis quindecim, mensibus duobus, diebus viginti vno. ^c Hic constitutum fecit de omni Ecclesia, & de regulis monasteriorum, & de Iudæis, & de paganis. Et multos Cataphrygas inuenit, quos in exilio monasterii relegauit. Hic inuenit ^d Pelagium & Cælestium hæreticos, & damnauit eos. Et hoc constituit, vt qui natus fuerit de Christiana, denuo nasci debeat per baptismum, hoc est, ^e baptizari, quod Pelagius damnabat. Eodem tempore dedicauit basilicam sanctorum Geruasii & Protasii ex deuotione testamenti cuiusdam illustris feminae Vestinae, laborantibus presbyteris Vrsicino & Lopardo, ac diacono Libyano. Quæ femina supra scripta testamenti paginam sic ordinauit, vt basilica sanctorum martyrum, ex ornamentis & margaritis, venditis iustis existimationibus, construeretur. Et constructa est vsque ad perfectum. In quo loco beatissimus Innocentius ex delegatione illustris feminae Vestinae, titulum Romanum constituit. Et in ^{*} eadem domo obtulit patenas argenteas duas, pensantes singulas libras 20.

^{*} eodem
domini-
co.

Concil. Tom. 4.

A

Amas argenteas duas , pensantes singulas libras 20. Coronas argenteas 12. pensantes singulas libras 14. Pharum cantharum vnum , pensans libras 22. Cerostrota argentea 4. pensantia singula libras 25. Turrim argenteam cum patena, & columbam deauratam, pensantem libras 30. Ad ornatum baptisterii , ceruum argenteum , fundentem aquam, pensantem libras 15. Vas ad oleum chrismatum argenteum , pensans libras quinque. Vas aliud ad oleum exorcizatum , pensans libras quinque. Patenas duas ad chrisma, pensantes singulas libras tres. Scyphum argenteum anaglyphum , pensantem libras decem. Scyphum aliud argenteum , pensantem libras decem. Calices argenteos quinque , pensantes libras tres. Calices argenteos baptismi numero tres , pensantes singulos libras 2. Aquamaniles argenteos, pensantes libras 16. Phara canthara area 16. pensantia singula libras decem. Phara canthara area cerostrota in gremio basilicæ numero 20. pensantia singula libras 40. Domos iuxta basilicam Libyanam , præstantes solidos octogintaquinque & tremissem. Balneum in eodem iuxta templum Mamuri, præstans solidos 32. Domos in cliuum salutis balneatæ, præstantes solidos septem & tremissem. Possessionem Sarras in Clusino territorio , præstantem solidos 71. & tremissem. Possessionem Corbianam in territorio Clusino, præstantem solidos 79. Possessionem Fundanensem in territorio Fundano cum adiacentibus attiguis 15. præstantem solidos 181. & tremissem. Possessionem Figlinam in territorio Casinate, præstantem solidos 58. & tremissem. Possessionem Amandini, quam donauit * illustris femina Vestina consobrinæ suæ in territorio Veientano, præstantem solidos 46. & tremissem. Possessionem Antonianam in territorio Clodiano, præstantem solidos 62. Domos Emeriti in cliuo * Mamuri , inter urbem Romam iuxta basilicam, præstantes solidos 62. Domos in cliuum Patricii * arbitrata. Domos iuxta basilicam in vico longo, qui cognominatur ad lacum, præstantes solidos 82. Domos ad cathedram lapideam Florianam , præstantes solidos 58. Pistrinum in vico longo, qui cognominatur Castoriani , præstans solidos * 61. Balneum in vico longo, qui cognominatur Templum , præstans solidos 40.

* illustris femina Vestinæ.

* Mamurrini,

* orbitata.

* si.

* Siliquas * 3. * vncias * portæ Nomentanæ, præstans folios 22. & tremissem. Hic constituit sabbato ieiunium celebrari, quia sabbato Dominus in sepulcro positus est, & discipuli ieiunarunt. Hic constituit basilicam sanctæ Agnetis martyris, a presbyteris Leopardo & Paulino, sollicitè ac digne gubernari & regi & ornari. Et ex dispositione Vestinæ, tituli supradicti presbyteris est concessa potestas. Hic fecit ordinationes quatuor in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros triginta, diacones quindecim Episcopos per diuersa loca 54. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ, ad vrsu pileatum. 5. Kalendas * Iulii. * Augusti. Et cessauit episcopatus dies 22.

Locus ob-
securus.

N O T Æ.

* Innocentius.] Cum post obitum Anastasii sedes pontificia dies viginti & vnum vacasset, Innocentius Albanus creatus est Romanus Pontifex 15. Kalend. Iunii, anno Christi 402. Arcadii & Honorii 8. Cuius initio Martinus Turonensium Episcopus ex hac vita migravit in cælum: Chrysostrmus a Conciliabulo apud Quercum habito, opera & conatu Theophili relegatus, ab imperatore Arcadio vix reuocatus, secundo exulare iubetur, ideo quod contra ludos sæculares permissu Honorii imperatoris editos, ritusque gentilitios in dedicatione statuæ argenteæ Eudoxiæ imperatricis declamasset. Hanc enim ob rem Eudoxia rursus acerrime irritata, per Theophilum Alexandrinum procurat, vt restitutus sedi, per imperatorem Arcadium denuo deponatur & relegatur; vtpote qui a Synodo depositus, synodali dumtaxat sententia, iuxta Canonem Antiocheni Conciliabuli duodecimum, restitui debuisset. Tertio anno exilii iussu Arcadii ad votum aduersariorum longius ablegatus, febri correptus, migravit ad Dominum anno Christi 407. qui est Innocentii 6. Arcadius imperator, & Eudoxia imperatrix, aliive Chrysostrmi persecutores, indignationem offensi Numinis experti, paucis mensibus post obitum Chrysostrmi præmature e vita tolluntur. Quando contigit magna illa vrbis irruptio, indignatione Dei per Alaricum facta, Pontifex tamquam iustus Lot e Sodomis subtractus, occulta Dei prouidentia Rauennæ detinebatur, *ne vir beatissimus*, inquit Orosius lib. 7. c. 39. *peccatoris populi excidium videret*. Huius tempore in Africa celebrata est famolissima illa collatio inter Catholicos & Donatistas diu expetita, sæpe tentata, nunquam autem, resilientibus illis, effectu consummata, quam ad longum describit sanctus Augustinus in Breui. Pelagius & Vigilantius hæresiarchæ sub hoc Pontifice exorti, eiusdem iudicio iustam damnationis sententiam retulerunt. Filios parentibus fidelibus prognatos, non minore salutis necessitate baptizandos esse, quam ii

Innocentius
quâdo Pon-
tifex factus
sit.
S. Martini
obitus.
Chrysostr-
mi persecus-
tio.

Chrysostr-
mus in exi-
liomoritur.

Persecuto-
res Chry-
sostrmi a
Deo puni-
tur.
Gratia Dei
Innocen-
tius ab ex-
cidio vrbis
liberatus
fuit.
Collatio cū
Donatistis
habita.

Pelagii &
Vigilanti
hæreses
exortæ.

4 INNOCENTII PAPÆ I. VITA.

qui infidelibus parentibus procreati sunt, contra dictum Pelagium recte quidem sustinuit, verum illud argumento eucharistiæ ab infantibus omnibus pari salutis necessitate sumendæ, non satis bene probavit. Vide notas epist. 25. infra.

Innocentius
quamdiu
sederit.

^b *Sedit annis quindecim, mensibus duobus.*] Annis quindecim, mense vno & diebus decem pontificatum tenuisse, initium & finis eiusdem demonstrant. Anno 417. qui est Honorii 23. & Theodosii decimus, eum ex hac vita migrasse, ex vigesima sexta Innocentii, & quibusdam Zosimi epistolis, consularu Honorii 11. & Constantii secundo consignatis, euidenter colligitur. Cum ergo præfati anno Christi 417. consules fuerint, natalis autem dies Innocentii 5. Kal. Augusti notatus esse reperiatur, ab exordio sedis hucusque computatione facta, prædictorum annorum mensium & dierum tempora inuenientur. Baron. ann. 417. num. 4.

Decretum
Innocentii.

^c *Hic constitutum de omni Ecclesia.*] Id est Decretum ad vniuersalem Ecclesiam pertinens: illudque esse puto, quod Gennadius de viris illustribus cap. 43. describit his verbis: *Innocentius urbis Romanæ Episcopus, scripsit Decretum occidentalium Ecclesiarum & orientalium aduersus Pelagianos datum: quod postea successor eius Papa Zosimus Latinis promulgauit.* Cetera eius Decreta, de regulis monachorum, Iudæis atque Paganis desiderantur. Baron. num. 5.

Pelagii &
Cælestii
condemna-
tio.

^d *Pelagium & Cælestium, &c.*] De qua condemnatione S. Prosper aduersus Collatorem, ex verbis Zosimi Papæ, hæc refert: *Constitui- mus in Pelagium & Cælestium per venerabilem Innocentium de beatissimi Apostoli sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur gratiam Dei, &c.*

An & quo-
modo Pe-
lagius infan-
tuloꝝ bap-
tismi ne-
garit?

^e *Baptizari, quod Pelagius damnabat.*] Pelagius epistola sua ad Innocentium scripta, ut habet August. de peccato orig. cap. 17. conquestus est, se calumniose hac in re infamari. *Dicit, inquit Augustinus prædicto loco, se ab hominibus infamari, quod negaret paruulis baptismi sacramentum, & absque redemptione Christi aliquibus regna calorum promittat.* Vnde quod hic dicitur, Pelagium baptismum infantulorum negasse, sic accipiendum est, quod si non verbis, re ipsa tamen damnasse videri poterat, dum peccatum originale, cuius gratia baptismus necessarius est infantibus, negaret. Hoc est quod ibidem subdit S. Augustinus: *Sed non sic illis hac obiiciuntur, ut posuit; nam neque paruulis negant baptismi sacramentum, neque absque redemptione Christi aliquibus regna calorum promittunt. Itaque vnde se queritur infamari, eo modo proposuit, ut facile possit crimini obiecto, saluo suo dogmate, respondere. Obiicitur autem illis, quod non baptizatos paruulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios confiteri, & in eos transisse originale peccatum regeneratione purgandum.* Baron. an. 417. num. 5.

An ieiuniū
sabbati In-
nocentius
instituerit?

^f *Constituit sabbato ieiunium celebrari.*] Hæc sic intellige, non quod Innocentius auctoritate huius Decreti primus ieiunium sabbati instituerit, sed quod de his ad Decentium Episcopum Eubatinum rescripserit, qui datis ad eum literis causam huius iei-

iunii edoceri expetierat. Baron. ann. 417. num. 6. Vide notas Can. Apost. 65.

EPISTOLA I.
INNOCENTII PAPÆ I.

DECENTII CONSULTATIONIBVS RESPONDENS,
nonnullas Romanæ Ecclesiæ traditiones explicat
quas obseruandas esse demonstrat.

- | | |
|---|---|
| I. De pacis osculo dando post con-
fecta mysteria. | V. De fermento, quod ciuitatis
tantum presbyteris dirigatur. |
| II. De nominibus ante precem sa-
cerdotis non recitandis. | VI. De energumenis baptizatis. |
| III. Quod non debeant baptizati
nisi ab Episcopo consignari. | VII. De pœnitentibus. |
| IV. Quod rite omni sabbato ieiunetur. | VIII. De epistola sancti Iacobi
Apostoli, in qua pro infirmis
orari præcipitur. |

Innocentius Decentio Episcopo Eugubino salutem.

Si instituta ecclesiastica, vt sunt a beatis Apostolis tra-
dita, integra vellent seruare Domini sacerdotes, nul-
la diuersitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecra-
tionibus haberetur. Sed dum vnusquisque, non quod
traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse
tenendum, inde diuersa in diuersis locis vel ecclesiis aut
teneri, aut celebrari videntur: ac fit scandalum populis:
qui dum nesciunt traditiones antiquas, humana præsum-
ptione corruptas, putant sibi aut Ecclesias non conueni-
re, aut ab Apostolis vel ab apostolicis viris contrarietate
inductam. Quis enim nesciat, aut non aduertat, id quod
a principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ tradi-
tum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere
seruari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut
auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur
exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem
Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, in-
fulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi
eos, quos venerabilis Apostolus Petrus aut eius succes-
sores constituerint sacerdotes? Aut legant, si in his pro-
uinciis alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuif-
se. Quod si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet

Dist. II.
Quis enim
nesciat.

teteos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, a qua eos principium accepisse, non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sæpe dilectionem tuam ad urbem venisse, ac nobiscum in Ecclesia conuenisse, & quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in ceteris agendis arcanis teneat, cognouisse dubium non est. Quod sufficere ad informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem, (si prædecessores tui minus aliquid aut aliter tenuerunt) satis certum haberem, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisses. Quibus idcirco respondemus, non quod te aliqua ignorare credamus, sed ut maiori auctoritate vel tuos instituas, vel, si qui a Romanæ Ecclesiæ institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas; ut scire valeamus, qui sint, qui aut nouitates inducunt, aut aliter Ecclesiæ quam Romanæ existimant consuetudinem esse seruandam.

I.

De consecr.
dist. 2. Pa-
cem igitur.

Pacem ergo asseris ante consecrata mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrantur.

II.

De consecr.
dist. 1. De
nominibus
recitandis.

De nominibus vero recitandis, antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut, cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

III.

De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent.

Hæc autem pontificibus solis deberi, vt vel consignent, vel paraclctum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Act. 8. Apostolorum, quæ asserit, Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum.

^a Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsentem Episcopo baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum paraclctum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.

IV.

^b Sabbato vero ieiunandum esse, ratio euentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum, ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum, ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiã temporis illius videtur inclusum. Nam vtique constat, Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, Ioan. 20. & propter metum Iudæorum se occuluisse. Quod vtique non dubium est, intantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari: quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quod si putant, semel atque vno sabbato ieiunandum, ergo & Dominica, & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebranda. Si autem Dominici diei & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui agere consuetudinem sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam, a sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est, quando & ad inferos fuit, vt tertia die resurgens, redderet lætitiã post biduanam tristitiã præcedentem. Non ergo nos negamus sexta feria ieiunandum, sed dicimus & sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiã Apostolis, vel his qui Christum sequuti sunt, induxerunt. qui die Dominico exhilarati. non solum

De consec.
dist. 4. præ-
sbyteris.

De consec.
dist. 3. Sab-
bato vero.
Et in De-
cret. Iuo.
lib. 2.

ipsum festiuissimum esse voluerunt, verum etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

V.

De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, ^d cum omnes Ecclesie nostrae intra ciuitatem sint constitutae. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non iudicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia ^e nec longe portanda sunt sacramenta: nec nos per cœmeteria diuersa constitutis presbyteris destinamus, * & presbyteri ^{ut & al. sed} eorum conficiendorum ius habeant atque licentiam.

VI.

De his vero baptizatis, qui postea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato interueniente, corripuntur, quæsiuit dilectio tua, si a presbytero vel diacono possint aut debeant consignari: quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri sine magno labore poterit, ut longe constitutus energumenus ad Episcopum deducatur, cum, si talis casus ei in itinere acciderit, nec perferri ad Episcopum, nec referri ad sua facile possit?

VII.

De consec.
dist. 3. De
pœnitenti-
bus vero.

De pœnitentibus vero, qui siue ex grauioribus commissis, siue ex leuioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interueniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesie consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac cum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque vsque ad desperationem deuenit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat.

VIII.

VIII.

Sane quoniam de hoc, sicuti de ceteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Celestinus diaconus in epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit laborantem, & suscitabit illum Dominus: & si peccata fecit, remittet ei.* Quod non est dubium, de fidelibus agrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chris-matis perungi possunt: quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate * inungendo. Ceterum illud superfluum videmus adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere chris-mate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chris-ma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? His ergo, frater carissime, omnibus, quæ tua dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus, respondere curauimus, vt Ecclesia tua Romanam consuetudinem, a qua originem ducit, seruare valeat atque custodire. Reliqua vero quæ scribi fas non erat, cum adfueris, interrogati, poterimus edicere. Erit autem Domini potentia, etiam id procurare, vt & tuam Ecclesiam, & clericos nostros, qui sub tuo pontificio diuinis famulantur officiis, bene instituas, & aliis formam tribuas, quam debeant imitari. Data 14. Kalendas Aprilis, Theodosio Augusto septies, & Palladio viris clarissimis consulibus.

* ad vngendum.

Dist. 95.
Illud superfluum.

Ann. Dom. 416. qui fuit Innocentii vltimus.

NOTÆ.

* *Nam presbyteris.*] Non sacramentalis, quæ adhibetur in confirmatione, sed tantum ceremonialis vnctio sacerdotibus concessa fuit. De qua vide notas in vitam Syluestri, & Can. 20. Concilii Tolletani.

Sacramentalis non ceremonialis vnctio chris-matis sacerdotibus illicita est.

Concil. Tom. 4.

B

^b *Sabbato vero ieiunandum.*] Vide quæ diximus in notis ad Can. Apost. 65. supra.

Fermentum
quid &
quare.

^c *De fermento.*] Quid sit fermentum, quibus nominibus appellatum, quis illius usus; vide quæ diximus in notis ad vitam Melchias & Concilii Laodiceni, &c.

An extra
urbem titu-
laris eccle-
sia fuerit?

^d *Cum omnes Ecclesia in urbe constituta.*] De titulis tantum intelligit, ad quos, ut ait, fermentum mitti solet: non quidem, quod non essent in suburbiis aliæ complures ecclesiæ, atque sanctorum memoriæ, sed quod nulla prorsus titularis esset, in qua populus colligi consueuerit. Cuius rei causa ait se non mittere fermentum ad presbyteros per diuersa cœmeteria constitutos, quod illi plebem sibi subditam, quam colligerent, non haberent: ac proinde nullus posset esse usus fermenti, quod ob Catholicæ communicationis symbolum confectum esset. Quod itaque non ipse faceret Pontifex, ut ad presbyteros extra urbem in cœmeteriis constitutos fermentum mitteret, significat id minus facere debere presbyteros titulares, ut ad positos extra mœnia fermentum mitterent. Hoc est quod subdit: *Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta.* Erant enim instituta, ut singuli fideles in suas ipsorum ecclesias, diuersis licet in locis positas, conuenientes, eo communicationis symbolo Catholici esse censerentur, ac proinde nequaquam absentibus impertienda erant, qui eo ipso quod cum ceteris præstituto die non conuenissent, se illis indignos reddiderant, neque facile, nisi legitime probata causa, vel non sine pœnitentia, in communicationem fidelium in posterum iuxta Canones admitti deberent. Vnde id quod Innocentius Decentio respondit, facile intelligi potest. Interrogabat Decentius, an exemplo Romani Pontificis, ad absentes fermentum mittentis, liceret etiam Episcopo ad rurales ecclesias idem fermentum mittere? Respondit Innocentius id exemplo Romanæ Ecclesiæ superflue quæri, cum illæ omnes Ecclesiæ, ad quas Papa fermentum mittit, intra urbem sint constitutæ: foras efferi non permittat, quod sacramenta non sint longe portanda, ac proinde Romanæ Ecclesiæ exemplo, fermentum extra mœnia ab aliis Ecclesiis non recte mittatur.

Vsus fer-
menti.

Innocentii
epistolæ in-
terpretatio.

^e *Ne longe portanda sunt sacramenta.*] Fermentum hoc loco sacramenta appellat, ideo quod sit sacræ rei, Catholicæ nimirum vniouis signum sacerdotali benedictione consignatum, ut supradictis locis diximus. Per sacramentum hoc loco nequaquam eucharistiam intellexisse, satis superque sufficet notissimum illud adducere, Romanam ac simul occidentalem omnem Ecclesiam, non nisi in azymo pane eucharistiam conficere consueuisse. Baron. ann. 313. num. 54. & 55.

An & quo-
modo fer-
mentum
appelletur
sacramen-
tum.

^e *Ne longe portanda sunt sacramenta.*] Fermentum hoc loco sacramenta appellat, ideo quod sit sacræ rei, Catholicæ nimirum vniouis signum sacerdotali benedictione consignatum, ut supradictis locis diximus. Per sacramentum hoc loco nequaquam eucharistiam intellexisse, satis superque sufficet notissimum illud adducere, Romanam ac simul occidentalem omnem Ecclesiam, non nisi in azymo pane eucharistiam conficere consueuisse. Baron. ann. 313. num. 54. & 55.

·EPISTOLA II.
 INNOCENTII PAPÆ I.
 AD VICTRICIVM EPISCOPVM
 Rothomagensẽm.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Quod extra conscientiam Metropolitani non ordinandus sit Episcopus.</i> | VII. <i>Vt alterius clericum nullus ordinet, neque ab alio eiectum recipiat.</i> |
| II. <i>Qui cingulum militiæ post baptismum accipiunt, clerici fieri non debent.</i> | VIII. <i>Venientes a Novatianis vel Montensibus quomodo suscipiendi.</i> |
| III. <i>De causis clericorum ab Episcopis provinciæ terminandis, vel ad sedem apostolicam referendis.</i> | IX. <i>Quod sacerdotes & Levitæ ab vxoribus suis abstinere debeant.</i> |
| IV. <i>Vt clericus vxorem, nisi virginem, non ducat.</i> | X. <i>Monachi si clerici fiant, continentia propositum seruare debent.</i> |
| V. <i>Vt qui non virginem duxerit clericus non fiat.</i> | XI. <i>Vt curiales clerici non ordinentur.</i> |
| VI. <i>Vt clericus non ordinetur, qui secundam habuit vxorem.</i> | XII. <i>De virginibus sacris si nupsierint, aut lapsæ fuerint.</i> |
| | XIII. <i>De virginibus non velatis si neglecto proposito nubant.</i> |

Innocentius Victricio Episcopo Rothomagensi.

ETSI tibi, frater carissime, pro merito & honore sacerdotii, quo plurimum polles, viuendi & docendi ecclesiasticæ regulæ nota sunt omnia, neque est aliquid, quod de sacris lectionibus tibi minus collectum esse videatur: tamen quia Romanæ Ecclesiæ normam ad auctoritatem magnopere postulasti, voluntati tuæ morem admodum gerens, digestas vitæ & morum probabilium disciplinas annexas literis meis misi: per quas aduertant Ecclesiarum regionis vestræ populi, quibus rebus ac regulis Christianorum vita in sua cuiusque professione debeat contineri, qualisque seruetur in vrbis Romæ Ecclesiis disciplina. Erit dilectionis tuæ, per plebes finitimas, & confacerdotes nostros, qui in illis regionibus propriis Ecclesiis præsident, regularem hunc librum, quasi didascalicum atque monitorem sedulo insinuare, vt & nostros cognoscere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi sedulitate formare. Aut enim propositum suum ex hac nostra congruenti lectione cognoscent, aut si quid

Concil. Tom. 4.

B ij

Hæc vsque
ad caput
10. habentur
supra n
epist. Siricii
Papæ.

Ephes. 5.

2. Thess. 2.

Psal. 49.

Dist. 64. Ex-
tra conscien-
tiam.

Can. 4.

adhuc desideratur, facile poterunt ex bona imitatione supplere. Incipiam igitur adiuuante sancto Apostolo Petro, per quem & apostolatus & episcopatus in Christo cœpit exordium, vt quoniam plures sæpe emerferunt causæ, quæ in aliquantibus non erant causæ, sed crimina, vt de cetero sollicitudo sit vnicuique sacerdoti in sua ecclesia curam huiusmodi habere, sicut prædicat Paulus Apostolus, talem Ecclesiam Deo exhibendâ, *non habentem maculam aut rugam*, ne alicuius morbidæ ouis afflatu conscientia nostra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantia vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam, & multa non præsumenda præsumunt, recte postulasti, vt in illis partibus istiusmodi quam tenet Ecclesia Romana forma seruetur. non quo noua præcepta aliqua imperentur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus obseruari cupiamus; quæ tamen apostolica & Patrum traditione sunt constituta. Scriptum est namque ad Thessalonicenses Paulo monente: *State ac tenete traditiones nostras, quas tradidi vobis, siue per verbum, siue per epistolam*. Illud certe tuam debet mentem vehementius excitare, vt ab omni labe sæculi istius immunis ante Dei conspectum securus inueniaris. Cui multum enim creditur, plus ab eo exigitur vsura pœnarum. Ergo quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo Christi cogimur præstare rationem, disciplina deifica populum erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui statuta maiorum non tenentes, castitatem Ecclesiæ sua præsumptione violarent, populi fauorem sequentes, & Dei iudicium non timentes. Ergo ne silentio nostro existimemur his præbere consensum, dicente Domino: *Videbas furem, & currebas cum eo*: hæc sunt quæ deinceps intuitu diuini iudicii omnem Catholicum Episcopum expedit custodire.

I.

Primum, vt extra conscientiam Metropolitanæ Episcopum nullus audeat ordinare. Integrum enim est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Nec vnus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Hoc enim & in Synodo Nicæna constitutum est, atque definitum.

II.

Item, si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

III.

Si quæ autem causæ vel contentiones inter clericos, tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicenam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur. Nec alicui liceat, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod si quis forte præsumpserit, ab officio clericatus submotus, velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medium fuerint deuolutæ, ad sedem apostolicam, sicut Synodus statuit, post episcopale iudicium referatur.

IV.

Vt mulierem clericus non ducat vxorem, quia scriptum est, *Sacerdos vxorem virginem accipiat*, non viduam, nec eiectam. Vtique qui ad sacerdotium labore suo & vitæ probitate contendit, cauere debet ne hoc præiudicio impeditus peruenire non possit.

V.

Vt si quis mulierem, licet laicus, duxit vxorem, siue ante baptismum, siue post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur exclusus. In baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris confortium relaxatur.

VI.

Ne is qui secundam duxit vxorem clericus fiat, quia scriptum est: *Vnius vxoris virum: & iterum: Sacerdotes mei semel nubant: & alibi: Sacerdotes mei non nubent amplius.* Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit vxorem, & ea de sæculo recedente alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errata regula: quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur. cum vtique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantum vt & in paradiso cum parentes huma-

Præm. 19. ni generis coniungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit: *A Deo præparabitur viro uxor.* Quam formam etiam sacerdotes omnes seruare vsus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere vxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari: cum benedictio quæ per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutæ doceatur. Quod si non putatur vxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.

*Dist. 34.
Quod si
non.*

VII.

*Dist. 71. De
aliena.* Ut de aliena Ecclesia clericum ordinare nullus vsurpet, nisi eius Episcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus statuit Nicæna, vt abiectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.

*Cor. 16. &
17.*

VIII.

Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamuis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui forte a nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt. Hi si resipiscentes & ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.

IX.

*Dist. 31. Te-
nere debet.* Præterea quod dignum & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, vt sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis diuinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si beatus

*Leuit. 11.
44. & 20.*

Luc. 1.

Paulus ad Corinthios scribit dicens: *Abstinete vos ad tem-^{1. Cor. 7.}pus, ut vacetis orationi*; & hoc utique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. Quod si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore sacrificare usurpabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri posse se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infideli-^{Ti. 1.}bus nihil mundum*? Sed fortasse licere hoc credit, quia scriptum est: *Unius uxoris virum.* Non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admisit, qui ait: *Vellem autem omnes sic esse, sicut & ego.* Quod apertius de-^{1. Cor. 7.}clarat, sic dicens: *Qui autem in carne sunt, Deo placere non pos-^{Rom. 8.}sunt: vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.*

X.

De monachis, qui diu morantes in monasteriis postea ^{16. q. 1. De monachis.}ad clericatus ordinem peruenerint, non debere eos a priore proposito deuiare. Aut enim sicut in monasterio fuit, & quod diu seruauit, id in meliore gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest iam corruptus. Quæ forma seruatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere.

XI.

Præterea frequenter quidam e fratribus nostris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt: quibus postea maior tristitia, cum de reuocandis eis aliquid ab imperatore præcipitur, quam gratia de adscito nascitur. Constat enim eos in ipsis muniis etiam voluptates exhibere, quas a diabolo inuentas esse non dubium est, & ludorum vel munerum apparatibus aut præesse, aut interesse. Sit certe in exemplum sollicitudo & tristitia fratrum, quam sæpe pertulimus, imperatore præsentem, cum pro his sæpius rogaremus. quam ipse nobiscum positus cognouisti. quibus non solum inferiores clerici ex curialibus, verum etiam iam in sacerdo-

Dist. 51.
Præterea
frequenter.

tio constituti, ingens molestia vt redderetur imminebat.

XII.

17. qu. 1.
Quæ Chri-
sto spiritali-
ter.

Item quæ Christo spiritaliter nupserunt, & velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruerint, non eas admittendas esse ad agenda pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de sæculo recesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcumque viuento viro alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agenda pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis fuerit defunctus: quanto & illa magis tenenda est, quæ ante immortalis se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigravit?

XIII.

17. qu. 1.
Hæc vero
quæ non-
dum.

Hæc vero quæ necdum sacro velamine testæ, tamen in proposito virginali semper manere promiserant, licet velata non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, solui sine vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus quæ a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines, quæ prioris promissionis fidem frangere sunt visæ?

1. Tim. 5.

Hæc itaque regula, frater carissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, dissensio conquietet, hæreses & schismata non emergent, locum non accipiet diabolus sæuendi: manebit vnanimitas, iniquitas superata calcabitur, veritas spiritali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit: implebitur & dictum Apostoli, *vt vnanimis, vnum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vendicantes*, non hominibus sed Deo nostro saluatori placentes, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Datum 15. Kalendas Martias, Honorio Augusto VI. & Aristæneto viris clarissimis consulibus.

Philip. 2.

NOTÆ.

Quo tēpo-
re quæ
occasione

* *Epistola.*] Hanc decretalem epistolam Innocentius anno pontificatus sui tertio, qui est Christi 404. Victricio Rothomagensi Episcopo,

scopo, normam ecclesiasticæ disciplinæ ab apostolica sede expetenti scripsit. Est autem Victricius, qui teste Paulino epist. 26. tempore Iuliani militans, ideo quod pro Christo cingulum militiæ abiecerat, multis tormentis affectus & capitis pœna damnatus, carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutus liber euasit, & post Rothomagensis episcopus factus Morinorum & Neruiorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Christi perduxit, & demum confessor in pace quieuit. Vnde constat pios & doctrina spectatos sanctissimos episcopos, quantumuis ad informandam plebem ecclesiasticis institutis ipsi sibi sufficere videri possent, ex fonte tamen originario aquas haurire solitos esse, quod nimirum scirent maioris roboris & auctoritatis esse id quod ab apostolica sede petatum constaret. Idem epistola sequente S. Exuperius episcopus Tolosanus aliisque temporibus alii: ut appareat sanctos quosque Dei amicitia coniunctos, gratiaque miraculorum pollentes, ad sedis apostolicæ doctrinam, tamquam ad diuinum semper in Petro loquens oraculum, conuenire solitos esse: illud firmum solidumque existimantes, quod tantæ sedis auctoritate comprobatum intelligerent. Nouatores huius temporis, hanc epistolam Innocentii suggillant, ideo quod lapsam virginem sacram, non prius ad pœnitentiam recipiendam esse decernat, quam vir ille, cui se titulo nuptiarum coniunxerat, defunctus sit: inique enim constitutum esse iudicabant, pœnitentiam lapsæ in obitum adulteri differre. Sed nihil æquius atque sanctius valuit Decreto Romani pontificis definiri, quam ut reiiciatur præfensa lapsæ virginis pœnitentia, quæ titulo nuptiarum cum adultero, tamquam cum legitimo viro, ad mortem vsque cohabitare delegit, quæque non prius, quam post mortem adulteri, ab eo separari voluit. Cum itaque iustissimum sit, ne in ecclesia absoluantur ii qui in peccato persequere volunt, hanc de repudianda eius pœnitentia Constitutionem pontificis, hæretici nostri temporis immerito reprehendunt. Vide Baron. ann. 404. num. 130. & 131. Bellar. lib. 4. de Rom. pont. c. 10.

^b *Apostolica & patrum traditione.*] Insinuat hæc duodecim capitula quæ sequuntur non esse noua aliqua præcepta, sed quæ apostolica & patrum traditione constituta, & ex ipsis Apostolorum Canonibus tamquam primæuis fontibus deriuata essent. Et recte quidem. Nam quæ capitulo primo continentur, constituta sunt Canone 1. Apostolorum. Quæ de causa cum coniunctione &, dixit capite 1. *Hoc enim & Synodus Nicæna constituit*, ut significaret præter traditionem Apostolorum etiam hoc in Nicæno Concilio constitutum esse, ut scilicet congruat, cum præcedentibus, quibus dixerat non imperari his capitulis aliqua noua præcepta, sed quæ apostolica & patrum traditione essent constituta. Capitulum secundum ex traditione apostolica quæ est in Canone Apostolorum 60. manauit. Sæcularis enim militia clericis est interdicta. Capitulum tertium Innocentii ex Canone Apostolorum 35. & 38. Innocentii 4. 5. & 6. ex Canone Apostolorum 17. & 18. Innocentii cap. 7. ex Canon.

Concil. Tom. 4.

C

hæc epistola sit scripta. Victricius quis?

Romane ecclesie auctoritas quæ & quæta?

Hæretici hæc epistolam quare calumniantur?

Calumnia hæreticorum diluitur.

12. 34. & 36. Innocentii cap. 8. ex Canone 47. & sequentibus; Innocentii 9. ex Ap. 6. cap. 10. ex 17. cap. 11. ex 81. cap. 12. ex 48. sumpta sunt.

EPISTOLA III.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD EXUPERIVM EPISCOPVM TOLOSANVM.

- | | |
|--|---|
| I. De incontinentia sacerdotum vel
Leuitarum. | ribus non conueniant. |
| II. De iis qui in extremo vita pœ-
nitentiam & communionem pe-
tunt. | V. Quod qui preces vel criminales
dicant, habeantur immunes. |
| III. Quod fidelibus administratio-
nes & iudicia exercere liceat. | VI. Adulteros esse, qui diuortio in-
terueniente aliud ineunt coniugium. |
| IV. Quod viri cum adulteris uxo-
- | VII. Qui libri in Canone recipian-
tur. |

Innocentius episcopus Exuperio episcopo Tolosano.

CONSULENTI tibi, frater carissime, quid de propo-
sita specie vnaquaque sentirem, pro captu intelligen-
tiæ meæ quæ sunt visa respondi, quid sequendum vel do-
cilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostende-
ret, vel custodita series temporum demonstraret. Et qui-
dem dilectio tua institutum secuta prudentium, ad se-
dem apostolicam referre maluit quid de rebus dubiis cu-
stodire deberet, potius quam vsurpatione præsumpta
quæ sibi viderentur de singulis obtinere. Cur enim magis
pudendum putemus discere aliquid, quam omnino nesci-
re? Mihi quoque ipsi de collatione docilitas accedit, dum
perscrutatis rationibus ad proposita respondere compellor.
Eoque fit vt aliquid semper addiscat, qui postulatur
vt doceat. Proponam igitur singula, subiiciamque re-
sponsum.

I.

Proposuisti quid de his obseruari debeat, quos in dia-
conii ministerio, aut in officio presbyterii positos incon-
tinentes esse, aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his
& diuinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ re-
cordationis viri Siricii episcopi monita euidentia com-
meant, vt incontinentes in officiis talibus positi omni

Dist. 82.
Proposui-
sti.

honore ecclesiastico priuentur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri. Est enim vetus admodum sacræ legis auctoritas iam ^{1. Paral. 24.} inde ab initio custodita, quod in templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt sacerdotes, vt seruientes sacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos sibi vindicent diuina mysteria: neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum vxore carnale confortium, quia ^{Dist. 31. Eos ad sacrificia.} scriptum est: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Quibus vtique propter sobolis successionem ^{Leuit. 11. & 20.} propterea vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. quanto magis hi sacerdotes & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium, sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis diuinis, vel a baptismatis officio vacent? Nam si beatus Paulus Apostolus ad Corinthios scribit, dicens: *Abstinete vos ad tempus vt vacetis orationi:* & hoc ^{1. Cor. 7.} vtique laicis præcepit: multo magis sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi iuge officium est, semper debent ab huiusmodi consortio abstinere. Qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo pudore vel sacrificare vsurpabit, aut qua conscientia, quove merito exaudiri se credit, cum dictum sit: *Omnia munda mundis,* ^{Tit. 1.} *coinquatis autem & infidelibus nihil est mundum?* Sed fortasse hoc licere credit, quia scriptum est: *Vnius uxoris virum.* ^{1. Tim. 3.} Non de permanente in concupiscentia generandi hoc dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admisit qui ait: *Vellem autem omnes sic esse* ^{1. Cor. 7.} *sicut & ego.* Quod & apertius declarat, dicens: *Qui autem* ^{Rom. 8.} *in carne sunt, Deo placere non possunt. vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.* Et habentem filios, non generantem, dixit. Sed ea plane dispar & diuersa sententia est. Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter & disciplina, quæ ab episcopo Siricio ad prouincias commeauit, non probabitur peruenisse, his ignorationis venia remittetur, ita vt de cetero penitus incipiant abstinere. Et ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint, sic retentent, vt eis non liceat ad potiora conscendere. quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent non

amittunt. Si qui autem scisse formam viuendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abieciſſe illi sunt modis omnibus submouendi: quia post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

II.

Et hoc quæſitum est, quid de his obseruari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt. De his obseruatio prior durior, posterior interueniente misericordia inclinatio est. Nam consuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebræ persecuciones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatioe securos non reuocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & durioſam remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam terrore depulſo communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiusmodi, vel in supremis suis pœnitentes, miserante Saluatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.

III.

23. qd. 4.
Quæſitum
est etiam.

Quæſitum est etiam super his qui post baptismum adminiſtrauerunt, & aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem ſententiam protulerunt. De his nihil legimus a maioribus definitum. Meminerant enim a Deo potestates has fuiſſe concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei eſſe miniſtrum vindicem in huiusmodi datum. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent eſſe conſeſſum? De his ergo ita vt hætenus ſeruatum eſt ſic habemus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Iſtis autem in ratione reddenda geſta ſua omnia ſeruabuntur.

IV.

Et illud desideratum est sciri, cur communicantes viri cum adulteris vxoribus non conueniant, cum contra vxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberius vxores adteras apud sacerdotes deferre consueuerunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine communio denegatur: virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur. Qui vtique submouebitur, si eius flagitium detegatur. Cum ergo par sit causa, interdum, probatione cessante, vindictæ ratio conquiescit.

V.

Illud etiam sciscitari voluisti, an preces dictantibus liberum concedatur, vtique post baptismi regenerationem, a principibus poscere mortem alicuius, vel sanguinem de reatu: quam rem principes nunquam sine cognitione concedunt, sed ad iudices commissa ipsa vel crimina semper remittunt, vt causa cognita vindicentur. Quæ cum quæstori fuerint delegata, aut absolutio, aut damnatio, pro negotii qualitate profertur, & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

VI.

De his etiam requisuit dilectio tua, qui interueniente repudio alii se matrimonio copularunt: quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel vxore viuente, quamuis diffociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri, in tantum vt etiam hæ personæ, quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur; secundum illud quod legimus in euangelio: *Qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mæchatur: similiter & qui dimissam duxerit, mæchatur.* Et ideo tales omnes a communione fidelium abstinendos. De parentibus autem, aut de propinquis eorum, nihil tale statui potest, nisi si incentores illiciti consortii fuisse detegantur.

Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum scripturarum, brevis adnexus ostendit. Hæc sunt ergo quæ desiderata moneri voce voluisti. Moysis libri 5. id est Genesis, Exodi, Leuitici, Numeri, Deuteronomii: & Iesu Naue vnus, Iudicum vnus. Regnorum libri 4. simul & Ruth. Prophetarum libri 16. Salomonis libri 5. Psalterium. Historiarum, Iob liber vnus, Tobia vnus, Esther vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Esdra duo, Paralipomenon duo. Item noui Testamenti, Euangeliorum libri 4. Apostoli Pauli epistolæ 14. Epistolæ Ioannis 3. Epistolæ Petri duæ: Epistola Iudæ, Epistola Iacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Ioannis. Cetera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ, siue Iacobi minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ a Xenocharide & Leonida philosophis; vel sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse damnanda. Datum 10. Kalendas Martias, Stilicone II. & Anthemio viris clarissimis consulibus.

NOTÆ.

Exuperius
quis.

² *Ad Exuperium.*] Exuperius is est, quem Ausonius Burdigalensem dicit, & inter eius temporis claros oratores adnumerat. Post præfecturam Hispaniarum, auctore Ausonio, ad portum tranquillitatis secessit: in ecclesia Burdigalensi presbyterium meruisse, ex Paulini epistola vigesima, ad Amantium scripta, intelligi potest. Qualis quantufve extiterit egregia vitæ sanctitate conspicuus, ex sancto Hieronymo audi, dum hæc de seipso scribit epist. 4. ad Rusticum. *S. Exuperius Tolose episcopus, vidua Sareptensis imitator, e furiens pascit alios, & ore pallente ieiuniis fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam eiecit e templo: qui absque funiculo & increpatione cathedras vendentium columbas, id est, dona sancti Spiritus, mensasque subuertit Mammonæ, & nummulariorum ara disperfit, vt domus Dei domus vocetur orationis, & non latronum spelunca, &c.* Epistola 2. *Non possum, inquit, absque lacrymis Tolose mentionem facere, quæ vt huc vsque non rueret, sancti episcopi Exuperii merita præstiterunt. Hic diuini spiritus afflatu venturum Gallia excidium, Tolosamque barbaris paulo post dedendam prænoscens, magna celeritate omnem substantiam in pauperes erogauit: cumque eius liberalitati maxima Gallia nimis angustâ videretur, Sifinnium monachum, integerrimis vitæ moribus præditum, in orientem cum ingenti*

pecunia ablegavit, ut monachis Palaestina & Ægypti subsidia vita ministraret. Hac occasione S. Hieronymus ex Sifinnio cognoscens qualis quantusque esset vir eximius Exuperius, ob eius egregiam sanctitatem eidem libros in Zachariam prophetam, quos elucubrabat, dedicandos existimavit. Hæc ex Hieron. præfat. in 3. Amos, & 1. Zachar. Baron. ann. 405. num. 62. & 406. num. 35.

Hæc Innocentii epistola ad Exuperium, sicut præcedens ad Victorium Rothomagensis episcopum, responsoria est ad eorum litteras, quibus aduersus nouam hæresim Vigilantii in Gallia emergentem pugnaturo, primum apostolicam sedem consulendam esse putarunt; ea nimirum ex causa, quod scirent absque aliqua dubitatione in vniuersa ecclesia catholica obseruandum esse quod ab apostolica sede seruatum & custoditum esse nosceretur, quodque ad castra hæreticorum & schismaticorum transirent, qui se ab eiusdem communione seiungerent, & Decreta illius obseruare nollent. Unde licet vterque sanctissimus & doctissimus Galliarum episcopus, optime nosset ea quæ Romanum Pontificem rogabant, tamen quod certo scirent ipsam apostolicam sedem esse turrim David, in qua sunt mille clypei & omnis armatura fortium, ab ipso præcipuo catholice ecclesie vertice sibi arma comparanda duxerunt, quorum vel vno ictu reptantem ventre bestiam conficerent. Omnes enim nefas esse intelligebant, apostolice sedis Decretis obniti, adeoque recentia Romani Pontificis decreta, fidem & ecclesiasticam disciplinam a maioribus & veteribus traditionibus acceptam, in Gallia sartam tectamque conseruabant. Baron. ann. 406. num. 47.

Hæc epistola qua occasione scripta.

EPISTOLA IV.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD FELICEM NUCERIANVM EPISCOPVM.

- | | |
|---|---|
| I. Si quis volens, partem sui corporis amputauerit, clericus esse non potest: nolens autem, potest. | debeant promoueri. |
| II. Quod bigami ad clerum admitti non possint. | IV. Qui de laicis possunt clerici fieri. Hic aperte concubina prohibetur. |
| III. Qui de laicis ad clerum non | V. De temporibus in clero immorandi. |

Innocentius Felici episcopo Nucerianno.

MIRARI non possumus, dilectionem tuam sequi instituta maiorum, omniaque, quæ possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos, quasi ad caput atque ad apicem episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes apostolica, ex ipsis rebus dubiis, certum aliquid faciendum pronuntiet. Quod & nos libenter accipimus, &

dilectionem tuam memorem Canonum approbamus. Scripsisti ergo, quod feruore fidei quo polles, & amore sanctæ plebis, vel reparaueris ecclesias Dei, vel nouas quasque construxeris: sed in his clericos, quos constitutas non habere: aliquos vero * mutilos, aliquos bigamos * man-
 esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignoranti dicimus, sed in aliis forsitan occupatos, istud oblitos vos esse dicimus.

I.

Dist. 55. Qui
partem.
Can. 1.
Conc. Ni-
cæni.

Qui igitur partem cuiuslibet digiti sibiipso volens abscidit, hunc ad clerum Canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos Canones præcipiunt & clericos fieri, & si in clero fuerint reperti, non abiici. In illis enim voluntas * iudicata * vindi-
 est, quæ sibi ausa fuerit ferrum iniicere, quod scilicet & alii id facere * dubitari non possit: in istis vero casus veniam meruit. * dubitare non possunt.

II.

1. Tim. 3.
Tit. 1.

De bigamis autem nec consuli debuit, quod manifesta lectio sit Apostoli, vnius vxoris virum, ad sacerdotium siue ad clericatum admitti debere, & hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea, quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico postea fuerit copulata, clericus, qui eam acceperit, esse non poterit: quia in lege cautum est, non viduam, non abiectam habere posse coniugem sacerdotem.

Leuit. 21.

III.

Dist. 51. De-
signata
sunt.

De laicis vero religio tua consuluit, quos Canones ordinare prohibeant. Certum est quidem, hoc regulas ecclesiasticas continere, sed non ita definitum est, vt de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, * & non fieri possunt: sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum peruenire non possunt, id est, si quis fidelis militauerit, si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulauerit, si quis fidelis administrauerit. De curialibus autem manifesta ratio est, quoniam etsi inueniantur huiusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam sæpius ad curiam repetuntur, cauendum ab his est, pro-
 pter

for. * sed
fieri

pter tribulationem, quæ sæpe de his ecclesiæ provenit.

IV.

Laici vero, qui habentes vxores, baptizati sunt, ac sic se instituerunt, vt opinio eorum in nullo vacillet, vt aut clericis iuncti sint, aut monasteriis, ex quo baptizati sunt hæserint, & si non concubinam, non pellicem nouerint, si in bonis operibus vigilauerint, non prohibentur huiusmodi ad clericatus sortem assumi.

Dist. 33.
Laici qui habentes.

V.

Ita sane, vt in eos tempora a maioribus constituta, seruentur. Nec cito quilibet lector, cito acolythus, cito diaconus, cito sacerdos fiat: quia in minoribus officiis si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, vt ad sacerdotium posthac, emensis stipendiorum meritis veniant, nec præripiant, quod vita probata meretur accipere. Quoniam ergo certa diffinitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprobari: ex his omnibus, quos videt dignatio tua non posse reprobari, eligere debebis, quos clericos facias. Si enim nullam gratiam hominibus aut beneficium præstare velimus, tales inuenire possumus, de quorum assumptione nec incurrere scandalum, nec erubescere videamur.

EPISTOLA V.

INNOCENTII PAPÆ I.

Vt hi, qui in presbyterio filios genuerunt,
ab officio remoueantur.

* *Britios.* Innocentius Maximo & Seuero episcopo per * *Britios.*

ECCLESIASTICORVM Canonum norma nulli esse debet incognita sacerdoti, quia nesciri hæc a pontifice, satis est indecorum, maxime cum a laicis religiosi viris & sciatur, & custodienda esse ducatur. Nuper quidem Maximilianus filius noster agens in rebus huiusmodi, qualem querelam detulerit, libelli eius series annexa declarat. Qui zelo fidei & disciplinæ ductus, non patitur ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse. Quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere noti-

Dist. 81.
Maximilianus.

Concil. Tom. 4.

D

tiam. Et ideo, fratres carissimi, libelli, qui subiectus est, tenore perspecto, eos, qui talia perpetrassè dicuntur, iubebitis in medio collocari: discussisque obiectionibus quæ ipsis presbyteris impinguntur, si conuicti fuerint, a sacerdotali remoueantur officio: quia qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur a ministerio, quod viuendo illicite polluerunt. Miramur autem hæc eorum dissimulare episcopos, vt aut conuiuere, aut nescire esse illicita iudicentur.

EPISTOLA VI.

INNOCENTII PAPÆ I.

Quod pœnitentium nullus ad clerum possit admitti.

*Innocentius Agapito, Macedonio, & Mauriano
episcopis Apulis.*

MVLTA in prouincia contra Canones ecclesiasticos Decretaque maiorum vsurpari a plurimis, & relationes diuersorum, & suggestiones fidissima retulerunt: quæ quidem possent facile refecari, si episcopi in his non inuenirentur auctores. Qui dum aut amicis aut obsequentibus gratiam præstare nituntur, religionem violant, ordinesque corrumpunt. Ac sic euenit, vt indigni quique honores suscipiant ecclesiasticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere mererentur: sicuti in nunc dato nobis libello monstratum est, Modestum quemdam, multis criminibus inuolutum, propter quæ etiam pœnitentiam egisse dicitur, non solum clericum effectum, quod non licet, verum etiam ad episcopatus apicem eum tendere: cum Canones apud Nicæam constituti, pœnitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludant. Et ideo, fratres carissimi, perspecto tenore libelli, eum iubete præsentari: ac si vere constiterit talem, qualem libellus affirmat, non solum ab episcopatus ambitione, sed etiam a clericalis remoueatur officio.

*Dist. 50.
Canones
apud Ni-
cæam.
Can. 10.
Conc. Nic.*

EPISTOLA VII.
INNOCENTII PAPÆ I.

De Bubalio & Tauriano damnatis a prouincialibus
episcopis, quorum sententiam sedes aposto-
lica retractare curauit.

*Innocentius Ruso, Gerontio, Sophronio, Flauiano, Macedonio,
Prosdotio & Oristeo episcopis per Macedoniam
constitutis.*

MORA coepiscoporum nostrorum Maximiani & Eu-
menii, vel potius importunitas temporum fecit,
vt vos iteraretis de Bubalio & Tauriano querimoniam,
& nos iterum in homines perditissimos insurgeremus.
Sed, vt possum, paucioribus verbis tantorum malorum
imitabor compendium, & strictim quæ in volumine li-
terarum uestrarum conspexerim, retractabo. Graue non
oportuit videri piissimis mentibus uestris, cuiuscumque
retractari iudicium: quia veritas exagitata sæpius, magis
splendescit in luce: & perniciēs reuocata in iudicium,
grauius & sine * pœnitentia condemnatur. Nam fructus
diuinus est, iustitiam sæpius recenseri, fratres carissimi.
Verum illud video mouisse animos uestros, quod in mul-
tis Bubalius sæpe fallaciis deprehensus, obiecerit exem-
plaria fictarum quasi a nobis literarum, cum pro consue-
tudine hominis nihil, quod proferret, iam fide dignissi-
mum videretur. Sed sileatur omne iam de tali negotio
murmur, & conuicti diaboli ipsi anhelitus comprimantur.
Subiunximus autem his priores literas, quas per me-
moratos episcopos miseramus, quibus ita plenaria sen-
sentiam nostrorum sententia designata est, vt dum relege-
ritis, nihil ambiguum, nihil requirendum in hac causa,
de cetero repetatis. Hanc autem paginulam nostram so-
licitius, credentibus sibi episcopis relegendam mittite, vt
sciant plenissime, quid sit de Bubalio & Tauriano, cete-
risque pronuntiatum, vt seruent, qui digni admonitione
sunt, cauere a talibus, ne * talibus socientur.

* illius,
qui pri-
mo iudi-
cauit,
pœnitē-
tia

* talia
fortian-
tur.

35. q. 9. Gra-
ue non.

De inuasione parochiæ alterius, vel de terminis minime transferendis.

Innocentius Florentio episcopo Tiburtinensi.

NON semel, sed aliquoties clamat scriptura diuina, transferri non oportere terminos, a patribus constitutos: quia nefas est, si quod alter semper possederit, alter inuadat: quod tuam bonitatem frater & coepiscopus noster Vrsus asserit perpetrasse. Nam Nomentanam siue Felicientem parochiam, ad suam diocesim a maioribus pertinentem, inuasisse te, atque illic diuina celebrasse mysteria, inconsulto eodem ac nesciente, non sine dolore conquestus est. Quod si verum est, non leuiter te culpam incurrisse cognoscas. Vnde si declinare cupis tantæ usurpationis inuidiam, nostris literis admonitum te conuenit abstinere. Certe si aliquid tibi credis iustitiæ suffragari, integris omnibus, & in pristino statu manentibus, post dies venerabiles Paschæ adesse debebis, vt memoratis possis intentionibus respondere: partibusque in medio collocatis, quid antiquitas aut veritas habeat, inquiramus.

EPISTOLA IX.

INNOCENTII PAPÆ I.

De eo, cuius de captiuitate reuersa est vxor, vt eam recipiat: altera, quam duxerat, repudiata.

Innocentius Probo.

CONTVRBATIO procellæ Barbaricæ, facultati * legis ^{*legum} intulit casum. Nam bene constituto matrimonio inter Fortunium & Vrsam, captiuitatis incurfus fecerat nauum, nisi sancta religionis statuta prouiderent. Cum enim in captiuitate prædicta Vrsâ mulier teneretur, aliud coniugium cum Restituta Fortunius memoratus inisse cognoscitur. Sed, fauore Domini, reuersa Vrsâ nos adiit,

34. qu. 1. &
1. Cum in
captiuitate.
Et in Decr.
110. lib. 6.

& nullo diffitente, vxorem se memorati esse perdocuit. Quare de re, domine fili merito illustris, statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat gratia diuina fundatum: conuentumque secundæ mulieris, priore superstite, nec diuortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum.

EPISTOLA X.

INNOCENTII PAPÆ I.

Familiariter salutat sanctos Dei sacerdotes, Aurelium Carthaginensem & Augustinum Hipponensem.

Innocentius Aurelio & Augustino episcopis.

ACCEPTISSIMI mihi germani compresbyteri illo recursus vacuus officio vestro esse non debuit. Per caros enim salutare carissimos, naturale quodammodo videtur & consequens. Gaudere igitur in Domino vestram germanitatem, amantissimi, cupimus, & pro nobis paria ad Deum vota rependere precamur: quia (vt bene nostis) communibus & alternis plus agimus orationibus, quam singularibus aut priuatis.

EPISTOLA XI.

INNOCENTII PAPÆ I.

De ratione paschali ad eundem Aurelium.

Innocentius Aurelio.

CARITATIS nostræ officium nullo interuallo dirimitur, etiam si charta nullos apices ferat. Viuit enim spiritualis gratia alternis in cordibus, & amorem nostrum confouet sacerdotalis ipsa societas. Cur ergo indignum est vnitatem ecclesiæ* custodiri? Idemque omnes pariter & sentiamus & pronuntiemus, frater carissime. Has ergo literas de ratione paschali alterius (dico futuri) anni præscripsi. Nam cum ante diem vndecimum Kalendarum Aprilium pene luna 16. colligatur, (nam quidpiam minus est) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earundem veniat 23. existimaui II. Ka-

D iij

*custodire.

lendarum memoratarum die, festa paschalia celebranda: quoniam in vigesimatertia luna, nullum Pascha unquam, ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus. Sententiæ meæ exposui atque edixi tenorem. Iam prudentiæ tuæ erit, confors mihi frater, cum vnanimis & confacerdotibus nostris hanc ipsam rem in Synodo religiosissima tractare, vt si nihil dispositioni nostræ resultat, nobis plenissime aperteque rescribas, quo deliberatam paschalem diem, iam literis ante (vt moris est) seruandam, suo tempore præscribamus. Compresbyterum autem Archidammum, quamuis nouerim, quod libentissime ac more suscipias consueto, tamen ex abundanti postulo, vt eum inter tuos habere digneris.

EPISTOLA XII.

INNOCENTII PAPÆ I.

Vt nullus contra ordinationem Canonum fiat episcopus, ad eundem.

Dilectissimo fratri Aurelio, Innocentius.

QVA indignitate, qua molestia male tractetur ecclesia, præcipueque episcopus, relegam vel audiam, & tua fraternitas bene nouit, & ego idonea tanto dolori verba inuenire non possum, dum facile imponuntur manus, dum negligenter summus sacerdos eligitur. Ecce facta est querela publica, quæ fecit semper vt communis omnibus tremenda sit reuerentia. Sic clerici ecclesiasticorum dogmatum nutriti vel honorati intra altaria Christi, respuuntur: sic prætereunter promouentur, quasi nefas sit, ad primatum per ordinem peruenire. Nam cum inuoluti mundanis nexibus, actibus vel moribus, abrupte adsciscuntur ad tanti collegium sacerdotii, & illi videntur contemni, de quibus oportuerat eligi, & isti male intromitti, qui præter ordinem irrumpunt potius quam eliguntur. Quam enim miserum est, eum magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit: eum summum fieri sacerdotem, qui nunquam in vlllo gradu obsecutus fuerit sacerdoti? Relege præfectorum literas, & vide, quæ vel falso, vel pro certo sublimium potestatum annotentur

Dist. 61.
Miserum
est enim.

scriptis. Perdimus profecto nos ipsi, nos inquam, sanctimoniam reuerentiam, qui, quasi vilissimum aliquid, summos efficimus sacerdotes, ut iam incipiat, quasi noxium aliquid publicis interlocutionibus condemnari. Frater carissime, hæc velim cuncta, recitanda per omnes Africanas ecclesias, scripta dirigas, & istis connectas quas adiunximus literas præfectorum, ut consilium de his quæ inique laudantur, iudiciumque, si quid tale probari poterit, fiat, ut præterita mala, si doceantur admissa, digna seueritate coerceantur: & decetero caueatur, ne ecclesiæ sanctitas, per nostram fatigata negligentiam, perdat priuilegia quæ est per viros venerabiles consecuta. Deus te incolumem custodiat. Data 4. Nonas Iunii, Iulio quarto & Palladio viris clarissimis consulibus.

NOTA.

* *Epistola.*] Cum magna esset penuria clericorum in Africa, ut supra diximus, fiebat, quod in Africa ab episcopis quibusdam immeriti ordinarentur. Pontifex his occurrens, apud primatem totius Africae Aurelium, hac de re merito conquestus fuit, eoque facto curam suam erga omnes ecclesias ostendit, cum & erga transmarinas ecclesias pastorali sollicitudine vigilaret. In alterius consulum nomine, dum alius quam Theodosius Palladii collega ponitur, hæc epistola emendanda est. Baron. ann. 416. num. 30.

Occasio scriptæ epistolæ.

Epistola hæc mendosa est.

*EPISTOLA XIII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD IULIANAM NOBILEM FEMINAM.

SINGVLARE membrum ecclesiæ, tuæ religionis amplitudinem existere, & a nobis reuerentissime colitis, fatis est omnibus manifestum. In ipso enim apice nobilitatis, multo nobiliorem ecclesiæ deuotionem impendis, & magis læta Christi agnitione, præceptis eius obtemperas, & in fide potius exultas, quam tanti generis flore iactaris. Summæ virtutis est, vicisse gloriam carnis: & magnæ est Christi gratiæ, nobilitatem moribus superasse, domina filia merito illustris. Certa igitur existens, dilectissima, huius vitæ (quæcumque sunt) spatia æternis diuinisque officiis illustrare contende, ut qui insignem te præstitit, reddat sibi per sæcula clariorem.

Pelagius
huic episto-
lae scribendæ
occasionem
dedit.

^a *Epistola.*] Occasionem huic epistolæ scribendæ dedit Pelagius, qui vt virus suum disseminaret, viduis & nobilibus blanditus est. Ad Demetriadem scripserat teste Augustino epistolam virulentissimam qua ait: *Spirituales vero diuitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo iure laudanda, in his merito ceteris præferenda es, quæ nisi ex te & in te esse possunt.* Hæc Pelagius. Cum itaque Innocentio pontifici vulgata illa Pelagii ad Demetriadem epistola innotuisset, parato antidoto occurrit, effecitque vt sancta familia ab irrepente clanculo hæresiarcha custodita, atque in omnibus illæsa seruata fuerit. Ille docebat: *spirituales diuitias nemo tibi præter te conferre poterit: ex te sunt, &c.* Innocentius vt lupum sub ouina pelle insipientem conficeret, verborum antithesi cum oppugnans ait: *Magna est Christi gratia nobilitatem moribus superasse.* Et propter hanc fidei doctrinam sanctus Hieron. ad Demetriadem scribens, ait: *Illud te pro caritatis affectu præmonendum puto, vt S. Innocentii, qui apostolica cathedra & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem, nec peregrinam (quamuis tibi prudens & callida videaris) doctrinam recipias, &c.* Vide Baron. anno 413. num. 24. & 25.

• EPISTOLA XIV.
INNOCENTII PAPÆ I.

De Antiochena ecclesia.

Innocentius Bonifacio presbytero.

ECCLESIA Antiochena, quam priusquam ad urbem Eperueniret Romam beatus apostolus Petrus sua præsentia illustravit, velut germana ecclesiæ Romanæ diu ab eodem alienam esse non passa est. Nam missis legatis, ita pacem postulavit & meruit, vt & Euagrianos suis ordinibus ac locis, intemerata ordinatione, quam acceperant a Memorato, susciperet: & Ioannis sanctæ memoriæ vel clericos vel laicos in vnum colligeret atque congregaret, * promittens ipsius ciuitatis episcopus, frater meus Alexander, etiam si quis forte vel a nobis, vel aliunde, posterioris ordinationis ad eosdem venerit, se sine controuersia recepturum, ac nomen episcopi Memorati inter quiescentes episcopos recitaturum. Cui rei nos noueris tradidisse manus, frater carissime, & eos in nostra viscera recepisse, ne diu membra, quæ requisierant sanitatem, ab vnitatem corporis haberentur aliena. Omnia vero,

* for. promittente
ipsum ciuitatis
episcopo
fratre
meo Alexandro.

vero, quæ per ordinem gesta sunt, filius meus diaconus Paulus, harum scilicet portitor literarum, dilectioni tuæ poterit enarrare, ut & gaudium commune nobiscum habeas, & eos informes, qui pro Attici partibus interuenire consueuerunt.

NOTA.

* *Epistola.*] Bonifacius legatione fungebatur apud Theodosium Constantinopoli: eratque Romanæ ecclesiæ presbyter, qui post Innocentium & Zosimum factus est Romanæ ecclesiæ pontifex. Hac epistola illi nuntiat, qua occasione Alexander Antiochenus episcopus in catholicam communionem ecclesiæ receptus fuerit: si nimirum primo ab Euagrio Paulini successore ordinatus ipse cum ordinibus & honoribus reciperet: ac præterea nomen Ioannis episcopi Constantinopolitani, e tabulis sacris expunctum cum honore, ut par erat, restitueret. De quibus plura sequente epist. 17. Baron. anno 408. num. 33. & 34.

Bonifacius quis?

Qua conditione Alexander Antiochenus episcopus ecclesiæ cōmunioni restitutus sit?

EPISTOLA XV.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD ALEXANDRVM ANTIOCHENVM EPISCOPVM.

De pace.

Innocentius Alexandro episcopo.

QVAM grata mihi, quam pia, quam necessaria legatio a tua sanctitate, frater carissime, ad nos directa fuerit, gestorum ipsorum replicatione cognosces. Voluit enim compresbyter noster Cassianus, hanc amicitiarum nostrarum paginulam per compresbyterum nostrum Paulum, Nicolaum diaconum, & Petrum subdiaconum, filios nostros, quasi primitias pacis nostræ conscribi. Saluto itaque & tuam mihi in Christo germanitatem, & omnem illam, quæ tecum tam bene sentit, ecclesiam. Nosque, ut facitis, & alloquamini (peto) crebrius literis, & frequentius de vestra salute latificetis. Dabit enim, ut confido, Dominus, totius nos præteriti temporis dispendia amantissimo literarum colloquio recompen- sare.

INNOCENTII PAPÆ I.
 • EPISTOLA XVI.
 INNOCENTII PAPÆ I.
 AD MAXIMIANVM.

De Attico episcopo Constantinopolitano.

Innocentius Maximiano episcopo.

MIRAMVR, prudentiam tuam scripta ad Atticum episcopum Constantinopolitanæ vrbis a nobis, & prosecutione propria, & dato libello, qui subter annexus est, postulare, a quo nec missas vllas saltem epistolas ad nos, vel ad vestram Synodum vtique pertulisti. Idque non petenti tribuendum existimes, quod vides deprecantibus, discussa ratione, concessum. Communio enim suspensa restituitur demonstranti causas, quibus id acciderat, iam esse deterfas, & profitenti condiciones pacis impletas. Quod neque apud vos, neque apud nos (vt prædixi) Atticus, missis aliquibus suorum, vel dicere voluit vel demonstrare completum, quemadmodum Antiochenæ ecclesiæ frater & coepiscopus noster Alexander, digna legatione & profecutus est, & probauit. Quibus omnibus vtique interesse dignatus, cognouisti, quemadmodum *singulatim* omnia scriptorum nostrorum antehac de causâ beatissimi Ioannis quondam episcopi nostri discussim, vt quæ illi in omnibus satis euidenter ostenderint, vniuersa, quæ apud Antiochiam fieri debuerint, fuisse completa. Quorum amplexati pacem, vtique fidem fecimus, & magno tramite omnibus eamdem postulaturis ostendimus, si modo quæ discussa sunt atque completa, etiam ipsi se pro suo loco fecisse vel complese, aliquando monstrauerint, communionemque, vt isti, legatione solenniter destinata, sibi rogauerint redhiberi. Expectamus ergo & professionem Memorati de completis omnibus conditionibus, quas diuersis temporibus prædiximus, & petitionem communionis, vt recte & petenti, & probanti se eamdem mereri, reddamus, frater carissime. Nam de omnibus plenissimas ad sanctam nostrorum fratrum Synodum dudum literas percepisti.

NOTA.

* *Epistola ad Maximianum de Attico.*] Cum Maximianus episcopus Macedoniae, is ad quem inter alios S. Chrysostomus exulans perscripsit, cuiusve alibi in epistolis suis Innocentius honeste meminit, vir pacis & concordiae studiosissimus, apud Innocentium papam literis egisset, ut communicatorias literas Attico Constantino-politano episcopo daret: redditis ad eum his literis significat, se non prius id facturum, quam Atticus cum Theophilo Alexandrino, Ioannem Chrysostomum viuentem & defunctum hostili odio persecutus, nomen sanctissimi confessoris in catalogum episcoporum Constantinopolitanae ecclesiae retulisset, adeoque easdem conditiones adimpleset, quas Alexander Antiochenus episcopus implere iussus erat. Ex quibus intelligis, lector, Romanum pontificem non solere eos, qui vel communionem suspensi sunt, vel omnino excommunicati, ad communionem ecclesiae recipere, nisi emendatis ante erroribus illis, quorum causa communionem interdici meruerant. Baron. ann. 408. num. 40. & 41.

Maximianus episcopus Macedoniae.

Argumentum epistolae.

* EPISTOLA XVII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD ALEXANDRUM ANTIOCHENUM

Episcopum.

Alexandrum commendat, quod omnes ad ecclesiae unitatem reduxerit. Helpidium & Pappum suas recuperasse ecclesias laetatur, summaque animi alacritate ecclesiam Antiochenam ad apostolicam communionem recipit.

POSTOLICI fauoris gratia, magno pacis vsque ad nos decore resplenduit: tantumque lucis gaudiorumque infulsit fidelibus, ut dicentes Deo maximas laudes, maiores debere nos fateamur. Plusque a Deo iucundati sumus, quod discussis omnibus lateribus actionum tuae fraternitatis, ita totum pietate ac patientia gestum cognouimus, ut in omnibus Dominum laudaremus: successumque ipsum ideo praestitum tuis laboribus videamus, quod tota virtute, pacis amator existens, eam requisitam inuenis, & repertam summa caritate tenueris, cum erga omnes, tum praecipue circa illos, qui quondam Paulini atque Euagrii episcoporum censiti fuerant nomine, * habeam summam votorum meorum, quod antiqui naui purgatio, tuis temporibus tuisque meritis prorogatur. Quo-

* for. habeo

Concil. Tom. 4.

E ij

rum etiam illos eiusdem nominis, qui in Italia meritum clericatus acceperant, censui bono quietis gratiam retinere susceptam. Et quia noster compresbyter Cassianus gratum * duxit tuæ fore dignationi, si meo consilio in ciuitate vestra clericatus ordinem ducere censerentur, statui propter beneuolentiam tuam, promissaque Memorati, ut inter ceteros sacerdotes ministrosque qui in ciuitate sunt, annumerentur, frater carissime. Libenter præterea de episcopis Helpidio atque * Pappo cognoui, quod sine quæstione suas ecclesias recuperauerint, & multum in gestis (ut subscripta testantur) sollicitus inquisui, utrum omnibus esset conditionibus satisfactum in causa beati & vere Deo digni sacerdotis Ioannis. Et cum per singula assertio legatorum ex voto completa esse fateretur, gratias agens Domino, communionem ecclesiæ vestræ ita recepi, ut præ me feram, apostolicæ sedis condiscipulos primos dedisse ceteris viam pacis, in qua firmatos vos nosque Domini Christi ita benignitas amplexabitur atque communit, ut nullo de cetero titillamento, vel leui cuiusquam contentionis pudore pulsetur. Scripta autem * Attici episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, ne per vestram iniuriam ille, qui olim a nobis suspensus fuerat, repudiaretur. Et tamen satis abunde quæ in actis statuimus, sicut dignanter relegere procurabis, quid in eius persona debeat custodiri, ut si per omnia vestris consiliis actibusque tam sanctis se rogauerit esse communem, præstetur * seni fauore vestro nostroque iudicio, communionis atque literarum a nobis gratia pro rogata. Subscripserunt episcopi * Italia 24.

NOTA.

Alexander Antiochenus schisma eiusdem ecclesiæ sustulit, & nomen sancti Chrysostomi in sacras tabulas retulit.

* *Epistola ad Alexandrum.*] Alexander post Porphyrium illum scelestum Flauiani in Antiochena sede successorem, anno Christi 408. defunctum, communi omnium consensu episcopus Antiochenus eligitur: postulatam Romanæ ecclesiæ communionem impetrauit sub duabus conditionibus: quarum altera est, si Antiochenam ecclesiam a tempore Iuliani apostatæ huc usque per 46. annos schismate diuisam, vno vinculo communicationis in vnum coniungeret, eosque qui ab Euagrio Paulini successore ordinati erant, cum ordinibus & honoribus reciperet: altera est, si nomen Ioannis episcopi Constantinopolitani a Porphyrio Flauiani successore e sacris tabulis expunctum, cum honore, ut par erat, restitueret, idque ex

epistola ad Bonifacium scripta euidentius constat. Cum itaque hoc tempore Alexander episcopus prædictas condiciones adimpletset, idque per literas Innocentio pontifici significasset, Innocentius hanc ob rem plurimum gauisus, has literas gratulatorias eidem rescripsit. Baron. ann. 408. num. 35. & præcedentibus quibusdam.

• EPISTOLA XVIII.
INNOCENTII PAPÆ I.
AD ALEXANDRVM EPISCOPVM.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Quod prima sedes beati Petri apud Antiochiam esse memoretur.</i> | III. <i>Quod Arianorum clerici non sunt recipiendi in suis officiis, quamuis eorum baptismum, qui catholicus constat, confirmet ecclesia.</i> |
| II. <i>Quod non oportet secundum constituta imperatorum, duos esse metropolitanos episcopos.</i> | |

Innocentius Alexandro episcopo.

I.

ET onus & honor nobis a tua fraternitate impositus, necessarii tractatus causas induxit, quo literis vel commonitorio vestro, vt dat sancti Spiritus gratia, respondere possimus. Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quæ censuit de Antiochena ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire, qua super diœcesim suam prædictam ecclesiam, non super aliquam prouinciam, recognoscimus constitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod prima primi apostoli sedes esse monstretur, vbi & nomen accepit religio Christiana, & quæ conuentum apostolorum apud se fieri celeberrimum meruit, quæ-^{46. u.} que vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa intransitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet? Itaque arbitramur, frater carissime, vt sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic & ceteros, non sine permisso conscientiaque tua, sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte seruabis, vt longe positos, literis datis, ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem, si æstimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas peruenire.

E iij

Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri iudicium.

II.

Nam quod sciscitaris, vtrum diuifis imperiali iudicio prouinciis, vt duæ metropoles fiant, fic duo metropolitani epifcopi debeant nominari: non vere vifum eft, ad mobilitatem neceffitatum mundanarum Dei ecclefiam commutari, honoresque aut diuifiones perpeti, quas pro fuis caufis faciendas duxerit imperator. Ergo fecundum priftinum prouinciarum morem, metropolitanos epifcopos conuenit nominari. Cyprios fane afferis, olim Arianæ impietatis potentia fatigatos, non tenuiffe Nicænos Canones in ordinandis fibi epifcopis, & vſque adhuc habere præſumptum, vt ſuo arbitratu ordinent, neminem conſulentes. Quocirca perſuademus eis, vt curent, iuxta Canonum fidem, fidem catholicam ſapere, atque vnum cum ceteris ſentire prouinciis, vt appareat ſancti Spiritus gratia ipſos quoque, vt omnes eccleſias, gubernari.

*Nic. Conc.
Can. 4. & 9.*

III.

Arianos præterea, ceteraſque huiuſmodi peſtes, quia eorum laicos conuerſos ad Dominum, ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcipimus, non videtur, clericos eorum cum ſacerdotii aut miniſterii cuiuſpiam ſuſcipi debere dignitate: quoniam quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permitimus, quod vtique in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti perficitur, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate illiſque myſteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores deſciſcerent, perfectionem ſpiritus quam acceperant, amiſerunt. Nec dare eius plenitudinem poſſunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam potius quam per fidem, dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri poteſt, vt eorum profanos ſacerdotes, dignos Chriſti honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, vt dixi, ad ſancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipiamus? Grauitas itaque tua hæc ad notitiam coepiſcoporum, vel per Synodum, ſi poteſt, vel per harum recitationem faciat peruenire, vt ea quæ

1. q. 1. Arianos præterea ceteros.

1. q. Qui perfectio-

ipse tam necessario percontatus es, & nos tam elimite respondimus, communi omnium consensu studioque seruentur.

NOTA.

* *Epistola.*] Ex hac epistola hæretici nostri temporis calumniantur Innocentium, quasi docuerit valorem & efficaciam baptismi, aliorumve sacramentorum, a bonitate ministri dependere: ideo quod infra dicat, ratum quidem esse Arianorum baptismum, sed non conferri per eos Spiritum sanctum: quia se ab ecclesia separauerunt. Verum suo modo nugantur. Innocentius enim eo loco de hæreticis loquitur, qui a ministris eadem hæresi polluti baptizantur vel ordinantur. Qui licet vere sacramentum baptismi vel ordinationis recipiant, non tamen recipiunt gratiam Spiritus sancti, quæ in hæreticis esse nequit. Et in ordinatione ab hæreticis ordinati non modo gratiam non recipiunt, sed neque ius legitime exercendi ordines consequuntur. Nam id ius ordinator per hæresim perdidit, nec tribuere potuit, quod ipse non habet. Ita Glossa 1. q. 1. Can. Arianos. Bellarm. lib. 4. de Roman. pont. cap. 10.

Hæreticorum calumnia diruitur.

EPISTOLA XIX.

INNOCENTII PAPÆ I.

* AD ACACIVM BEROEÆ EPISCOPVM.

De sancto Ioanne Chrysostomo Constantinopolitano episcopo.

AD GAUDERE literis fraternitatem tuam de receptis Paulini vel Euagrii episcoporum clericis populisque, & de restitutis Helpidio atque * Pappo coepiscopis percensuimus, & vel sero receptæ pacis gratiam te fouere, postposita omni contentione, peruidimus. Vnde has ad præstantissimum fratrem & coepiscopum nostrum Alexandrum reddendas tuæ transmisi vnanimitati, videlicet vt si omnes inimicitæ, omnis æmulatio, tam de nomine sancti Ioannis mirandi episcopi, quam de omnibus eiusdem communionis participibus, a tua animositate discessit, has nostræ societatis recipias literas, frater carissime: modo, vt omnia quæ * his actis firmata sunt, apud mediatorum nostrum amabilem Alexandrum ore proprio, vt communicantem conuenit, fatearis. Vt enim nobis hæc vnanimitatis caritatisque causa venerabilis est, sic inhæret sollicita, ne quid obliquum aut succisuum in quoquam residere cognoscat.

* Pappo

* hic, ad de his

Acacius Berœensis episcopus.

^a *Ad Acacium.*] Hic est ille Acacius Berœensis episcopus, de sancto Chrysostomo pessime meritus; qui quod deinceps Innocentio in omnibus paruisset, apud Atticum Constantinopolitanū, nomen Chrysostomi ann. 412. in diptycha referri impetrasset, post obitum Theophili in catholica ecclesiæ communionem sæpe expetitam recipi promeruit. Sed infelix, oborta postea hæresi Nestoriana, aduersus Cyrillum & alios orthodoxos fortiter dimicans, labem abolitam, quam ex persecutione in Ioannem agitata fœde contraxerat, duplo auxit. Baron. ann. prædicto num. 37. & 38.

EPISTOLA XX.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD LAURENTIVM EPISCOPVM SENIENSEM.

Photini hæresis sectatores omni diligentia
expelli præcipit.

Innocentius Laurentio episcopo Seniensi.

DIV mirati sumus, dilectionis tuæ literis lectis, hæreticos Photini venena sectantes, in territorio dilectionis tuæ non solum esse, sed & publice sibi conuenticula in aliquorum possessionibus præparare, cum de toto pene orbe nusquam tam multi, quam apud vos, delegerint habitare. Quorum doctrinæ nefariæ auctor Marcus, dudum de vrbe pulsus, temeritatis tantæ ductus est audacia, vt primum sibi inter eos vendicet locum. Sed ne vltius debacchandi habeant facultatem, & animas simplicium ac rusticanorum secum in gehennam, cui destinati sunt, trahant, actum est aduersus eos a defensoribus ecclesiæ nostræ, quod eos possint expellere, vt qui Christum Deum ex patris substantia ante sæcula negant genitum, hi cum Iudæis, qui eius deitatem negauerunt, & nunc vsque negant, participium habeant damnationis. Tuum est, frater carissime, quæ præcepta sunt, non segnius agere, ne plebem tibi creditam dissimulatione deperdas, & incipias Deo de perditis reddere rationem.

EPI-

EPISTOLA XXI.
INNOCENTII PAPÆ I.* Naxi-
tanvm. AD MARTIANVM EPISCOPVM * NARESITANVM.De suscipiendis clericis, quos Bonofus, antequam
damnaretur, ordinasse cognoscitur.* Naxi-
tano. *Innocentius Martino episcopo * Naresitano.*

SUPERIORI tempore, si tamen recte recordor, memi-
 ni me tam ad dilectionem tuam quam ad fratres & co-
 episcopos nostros, Rufum & ceteros huiusmodi, literas
 de clericis * Naresiensibus transmisisse, his videlicet, qui
 se ante damnationem Bonosi asserabant, ab eodem tam
 presbyteros quam diaconos ordinatos, ut si relicto atque
 damnato eius errore, vellent ecclesiæ copulari, libenter
 reciperentur: ne forte qui essent digni recuperandæ salu-
 tis, in eodem errore deperirent. Verum nunc in Rauen-
 nati vrbe mihi constituto, propter Romani populi neces-
 sitates creberrimas, * Germanio, qui asserit se esse presby-
 terum, atque * Lupentinus, qui se diaconum dicit, multo-
 rum talium quasi legatione suscepta, prece fusa, dolores
 proprios exprimere gestiuerunt, se quidem ecclesias in
 dilectionis tuæ constitutas parochiis retinere, sed tuam
 communionem non potuisse se mereri, ea videlicet ra-
 tione, quia Rusticius quidam nomine, iterata ordinatio-
 ne presbyterium suscepisset. Et non leui impedimento fit,
 dum aut illi dolent huiusmodi hominem in ecclesia re-
 tineri, aut ille sic peccare debere in alio arbitretur, quem-
 admodum in se agnoscit esse peccatum. Et quamuis de
 eadem re plenius literæ meæ contineant, quas superius
 memoravi, tamen nunc etiam admonendam duximus fra-
 ternitatem tuam, ut si vere constat, aliquos ante damna-
 tionem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel
 nunc velle reuerti, eos recipiendos esse censemus, maxi-
 me cum memorati asserant, se intantum anteriori tem-
 pore ordinatos, ut sanctæ recordationis virum Corne-
 lium episcopum Sirmiensis vrbis, nec non & fratrem no-
 strum Nicetam, aliosque nonnullos fuisse presentes cum
 honoribus, quos se habere commemorant, faterentur.

Concil. Tom. 4.

F

Vnde (frater carissime) si eorum assertio fidem recipit veri, suscipiendos esse ambigere non debes, quos tamdiu ecclesias sibi creditas passus es retinere.

* EPISTOLA XXII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS MACEDONIÆ.

- | | |
|---|--|
| I. <i>Ut si sacerdos, vel quilibet ex clero, viduam uxorem duxerit, vel eiectam, suum perdat officium.</i> | V. <i>Quod hi qui a Bonoso heretico ordinati sunt, propterea sint recepti, ne scandalum remaneret ecclesia.</i> |
| II. <i>Ut si quis catechumenus habuerit uxorem, & defuncta ea post baptismum acceperit alteram, clericus esse non possit.</i> | VI. <i>Quod in ecclesia peccatum populi multum soleat remanere.</i> |
| III. <i>Quod non admittantur clerici ab hereticis ordinati.</i> | VII. <i>Quod surreptum fuerit apostolicæ sedis, & suam in melius sententiam commutarit, quando damnationem Photini rescidit.</i> |
| IV. <i>Quod in ordinationibus criminalibus vel vitia non bene credantur</i> | |

Innocentius Ruso, Eusebio, Eustathio, Claudio, Maximiano, Eugenio, Gerontio, Ioanni, Polychronio, Sophronio, Flauiano, Hilario, Macedonio, Calicrati, Zosimo, Profuto, Nicetæ, Hermogeni, Vincentio, Asologo, Terentiano, Herodiano, & Martiano, & ceteris episcopis Macedonibus, & diaconibus, in Domino salutem.

MAGNA me gratulatio habuit, cum post tot discrimina totius (vt ita dixerim) mundi, Vitalis archidiaconus vestrarum portitor literarum, ex illis partibus ad nos vsque directus aduenit. Quem cum vidissemus, illico (vt oportebat) percontati de vestro statu sumus. Verum vbi reperimus, vos ex sententia degere, Domino Deo nostro vberes gratias retulimus, quod vos famulos suos, suisque altaribus seruietes, & in aduersis tuetur, & in prosperis gubernare dignatur. Qui cum tradidisset epistolas, eas præcepi illico recenseri, in quibus multa posita esse peruidi, quæ stuporem mentibus nostris inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, vtrum aliter putaremus, an ita illa essent posita, quemadmodum personabant. Quæ cum sæpius repeti fecissem, aduerti, fedi apostolicæ, ad quam relatio, quasi ad caput ecclesiarum, missa cur-

rebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum sententia duceretur. Vnde, de quibus iam dudum scripsisse me memini, nunc iterare formam argumentis evidentioribus relationis vestræ geminata percontatio cōpellit.

I.

Eos qui viduas accepisse suggeruntur vxores, non solum clericos effectos agnoui, verum etiam vsque ad infulas summi sacerdotii peruenisse: quod contra legis esse præcepta, nullus ignorat. ^b Nam cum Moses legislator clamitet: *Sacerdos uxorem virginem accipiat*: ac ne in hoc præcepto aliquid putaretur ambiguum, addidit: *Non viduam, neque ciectam*: contra quod præceptum, diuina auctoritate subnixum, nulla defensio mandati alterius opponitur, nisi consuetudo vestra. Quæ (vt ipsi fatemini) ex ignorantia, & vt verecundius dicam, non ex apostolica traditione & ratione integra constituta est. Nos autem, omnesque per orientem occidentemque ecclesias, nouerit vestra dilectio, hæc penitus non admittere, nec ad vltimum ecclesiastici ordinis locum tales assumere, & si reperti fuerint, submouere.

II.

Deinde ponitur, non dici oportere bigamum, eum qui catechumenus habuerit atque amiserit vxorem, si post baptismum fuerit aliam sortitus, eamque primam videri, quæ nouo homini copulata sit: quia illud coniugium, per baptismi sacramentum, cum ceteris criminibus sit ablutum. Quod cum de vna vtique dicitur, certe si tres habuerit, in vetere positus homine, vxores, erit ei, quæ post baptismum quarta est, sic interpretantibus prima: virginis æque nomen accipiet, quæ quarto ducta est loco. Quis (oro) istud non videat contra apostoli esse præceptum, qui ait: *Vnius uxoris virum oportere fieri sacerdotem*? Sed obiicitur, quod in baptismo totum, quidquid in vetere homine gestum est, sit solum. Dicite mihi, cum pace vestra loquor, crimina tantum dimittuntur in baptismo, an & illa quæ secundum legis præcepta ac Dei instituta complentur? Vxorem ducere, crimen est, an non est crimen? Si crimen est, ergo (præfata venia dixerim) erit auctor in culpa, qui vt crimina committerent, in paradiso, cum ipse eos iungeret, benedixit. Si vero non est crimen, quia quod

Concil. Tom. 4.

F ij

Deus iunxit, nefas sit crimen appellari, & Salomon addidit: *Etenim a Deo preparatur viro vxor*: quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod auctore Deo legitur consummatum? Quid de talium filiis percensetur?

28. quæst. 1. Numquid non erunt admittendi in hereditatis consortio, quia ex ea suscepti sunt, quæ ante baptismum fuit vxor? Eruntque appellandi vel naturales, vel spurii, quia non est legitimum matrimonium, nisi illud (vt vobis videtur) quod post baptismum assumitur. Ipse Dominus cum interrogaretur a Iudæis, si liceret dimittere vxorem,

atque exponeret fieri non debere, addidit: *Quod ergo Deus iunxit, homo non separet*. Ac ne de his locutus esse credatur, qui post baptismum sortiuntur, meminerint hoc & a Iudæis interrogatum, & Iudæis esse responsum. Quæro, & sollicitus quæro, si vna eademque sit vxor eius, qui ante catechumenus, postea fit fidelis, filiosque ex ea, cum esset catechumenus, suscepit, ac postea alios, cum fidelis: vtrum sint appellandi fratres, an non habeant postea, defuncto patre, eriscundæ hereditatis consortium, quibus filiorum nomen regeneratio spiritualis creditur abstulisse? Quod cum ita sentire atque iudicare absurdum est, quæ (malum) ratio est, hoc defendi, & vacua magis opinione iactari, quam aliqua auctoritate roborari, cum non possit inter peccata deputari, quod lex præcepit, & Deus iunxit? Numquid si quis catechumenus virtutibus studuerit, humilitatem secutus fuerit, patientiam tenuerit, eleemosynas fecerit, morti destinatus qualibet ratione eripuerit, adulteria exhorruerit, castitatem tenuerit; quæro, si hæc, cum fuerit factus fidelis, amittit, quia per baptismum totum, quod vetus homo gesserat, putatur auferri?

Act. 10. Aspiciamus gentilem hominem Cornelium, orationibus atque eleemosynis vacantem, per reuelationem angelum, Petrumque ipsum vidisse. Numquid per baptismum hæc illi * ablata sunt, propter quæ baptismus ei videtur esse concessus? Si ita creditur, mihi credite, non modicum erratur: quia quidquid bene gestum fuerit, & secundum legis præcepta custoditum, non potest agenti deperire. Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum. Et quod peccatum non est, solui inter peccata, credi omnino non debet.

* ablata

Eritque integrum æstimare, aboleri non posse prioris nomen vxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quia ex Dei sit voluntate completum.

III.

Ventum est ad tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem. Cum nos dicamus, ab hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput, vbi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, vt possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta, sine cicatrice esse non poterit: atque vbi pœnitentiæ remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. *Nam si* (vt legitur) *quod tetigerit immundus, immundum erit*: quomodo id ei tribuetur, quod munditia ac puritas consuevit accipere? Sed econtrario asseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod ille posset accipere. Acquiescimus, & verum est. Certe qui quod non habuit dare non potuit, damnationem vtique, quam habuit, per prauam manus impositionem dedit: & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non possum.

IV.

At dicitur vera ac iusta legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium quod a vitioso fuerat iniectum. Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. Nostræ vero lex est ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem, in clericatus honorem velexiguum subrogare.

V.

At vero hi quia catholica fide ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet nisi per pœnitentiam suscipi, apud vos non solum pœnitentiam non agunt, verum etiam honore cumulantur. Sed Anisi quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, vt

1. quæst. 1.
Ventum est
ad tertiam.

Nam. 19.

1. quæst. 1.
Qui perfectionem
sancti.

1. quæst. 1.
Arianos
præterea.

1. quæst. 1.
Ventum est
ad tertiam.
1. quæst. 1.
Homini qui
simul.
Cum ergo
de.

1. quæst. 1.
Quod pro
necessitate.

quos ^c Bonofus ordinauerat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur.

1. quæst. 1.
Quod pro
necessitate.

Vicimus (vt opinor) ambigua. Iam ergo, quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse: ac fuisse regulas veteres, quas ab apostolis vel apostolicis viris traditas ecclesia Romana custodit, custodiendâsq; mandat his qui eam audire consueuerunt. Sed

2. quæst. 1.
Quod pro
necessitate.

necessitas temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio inuenit, cessante necessitate, debet vtique cessare pariter quod vrgebat: quia aliud est ordo legitimus, alia vsurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. Sed Canones apud Nicæam constituti, de Nouatianis fieri permiserunt. Prius ille Canon, a patribus institutus, ponendus est, vt possimus aduertere, vel

Can. 8. Ni-
cænæ Syn-
nodi.

quid, vel qualiter ab eisdem sensum sit vel præceptum. De his, inquit, qui nominant seipsos catharos, id est, mundos, & aliquando veniunt ad catholicam ecclesiam, placuit sanctæ & magnæ Synodo, vt accepta manus impositione, sic maneant in clero. Possum vero dicere, de solis hoc Nouatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. Nam si vtique de omnibus ita definirent, addidissent, a Nouatianis, aliisque hæreticis reuertentes, debere in suum ordinem recipi. Quod ita esse, etiam illud maxime, quod de Paulianistis dictum est, poterit confirmare, a quibus venientes, etiam baptizari præcipiunt. Numquidnam, cum de Paulianistis iubent, omnes qui ab hæreticis reuertuntur erunt hoc exemplo baptizandi? Quod cum nullus audeat facere, de ipsis tantum esse præceptum, ratio ipsa demonstrat. Denique,

Act. 9.

baptizatos rite ab euangelista Philippo, Petrus & Ioannes sola manus impositione consummant. Illos vero, quos apostolus Paulus Ioannis baptismate baptizatos reperit, interrogauitque an Spiritum sanctum accepissent, fatentibus se, ne illud quidem nomen audisse; iussit eos baptizari. Videtis ergo, rite baptizatos, illo dono iterari non posse: & aliter, sola aqua lotos, baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, necessarium peruideri. Ita

1. q. 1. Paulianiste in nomine.

& de Nouatianis tantum iussum esse, lucida manifestatione perlegitur. Quod idcirco distinctum esse ipsis duabus hæresibus, ratio manifesta declarat: quia Paulianistæ

in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti minime baptizabant: & Nouatiani iisdem tremendis venerandisque nominibus baptizant: nec apud istos de vnitatis potestatis diuinæ, hoc est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quaestio aliquando mota est: & ideo omnibus segregatis, hæc sola electa est, cui istud crederent concedendum, quia nihil in Patris & Filii & Spiritus sancti sacramento peccarent. Si quis vero de catholica ad hæresim transiens, aut fidelis, ab apostasia reuertens, & resipiscens redire voluerit; numquid eadem ratione poterit ad clerum admitti, cuius commissum non, nisi longa pœnitentia, poterit aboleri? nec post pœnitentiam clericum fieri ipsi Canones sua auctoritate permittunt. Vnde constat, qui de catholica ad Bonosum transferunt damnatum, atque se passi sunt, aut cupierunt, ab eodem ordinari; non oportuisse ordinationis ecclesiasticæ suscipere dignitatem, qui commune omnium ecclesiarum iudicium deserentes, suam peculiariter in Bonoso vanitatem sequendam esse duxerunt. Sed multos constat vim passos, atque inuitos, at-
1. q. 1. Constat multos vim.
tractos, repugnantesque ab eodem ordinatos. Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit: si non post ordinationem Bonosi interfuit, cum conficeret sacramenta, si communioni eius participatus non est, si statim discedens de eius pessimo Conciliabulo, ad ecclesiam rediit, iste talis potest habere excusationis aliquem colorem. Ceterum alii qui vel post annum vel mensem ad ecclesiam redierunt, intelligimus eos qui in catholica nouerant se, propter vitia sua, non posse suscipere ordinationem, idcirco ad illum perrexisse, qui passim & sine vlla discussione ordinationes illicitas faciebat, credentes se posse per istam institutionem, in ecclesia catholica inuenire locum, de quo antea desperauerant. Nunc illud quod superest, interrogo: qui post mensem aut eo amplius rediit, cum se presbyterum a Bonoso confideret ordinatum, si non sacramenta confecit, si non populis distribuit, si non Missas secundum consuetudinem compleuit, quid de his censeatis, quaeso, promatis apertius. Ad summam certe, qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatae dignitatis, qui conficiendorum sacramentorum sibi vendicauerunt auctoritatem, atque id se putauerunt esse,

quod de his nulla fuerat regulari ratione concessum.

VI.

1. quæst. 7.
Quoties a
populis.

Peruideat ergo dilectio vestra, hæcenus talia transisse, & aduertite, quod (vt dicitis) necessitas imperauit in pace iam ecclesias constitutas, non posse præsumere: sed vt sæpe accidit, quoties a populis aut a turba peccatur, quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire, priora dimittenda dico Dei iudicio, & de reliquo maxima sollicitudine præcauendum.

VII.

35. q. 9. Ve-
niam nunc
ad maxi-
mum.

Veniam nunc ad maximum quasi quoddam thema Photinum, & quod mihi anxium est ac difficillimum, maiorum meorum reuoluam sententias. Fuerat de illo quoquo pacto (vt etiam ipsi commemorastis) aliquid vtique grauius constitutum. Verum quoniam id per rumorem falsum, vt asseritis, subreptum huic sedi & elicium per insidias demonstratis, quia res ad salutem rediit, veniam nos hanc intantum, vobis annitentibus, post condemnationem more apostolico subrogamus, tantisque vestris assertionibus, vobisque tam bonis, tam caris non dare consensum, omnibus rebus duris durius arbitramur. Pro vestra ergo approbatione, fratres carissimi, & sententia ac postulatione, episcopum Photinum habetote licitum ita constituere, vt deprecamini, & nostram in melius conuersam sententiam, labore vel testimonio vestro, compotes voti suscipite, atque Eustathium, a me sapissime comprobatum, nolite expectare, vt diaconii gratia expolietur. Sollicitos enim vos pro salute, libenter audio: contra caput etiam si faciendum sit, non libenter admitto. Cui manum porrigitis, vobiscum porrigo: cui porrigo, mecum porrigite. Hæc enim ad Corinthios apostolica est declarata benignitas, vt in vno spiritu ductam ac reductam sententiam, boni semper indifferenter sequantur. Nam fateor, hæc me primum res bene habet erga Eustathium diaconum, quod nec contra fidem vnquam quidquam locutus sit, nec loquentem admiserit, nec ad mortem crimen aliquod commisisse, vel iactatum vnquam vel fictum de eo recognouerim. Et qui in his saluus est, si quo pacto conuersationes amabiles non habet,

haben-

habendus est, vt minus pro tempore dilectus, non vt inimicus existimatus, diabolo in perpetuum mancipandus. Cognosco illum, inter illas simultates ac turbines contra multorum studia, non dico qualia, diuersa sensisse, & hinc cum res ac calamitates ipsæ emendatæ sint, adhuc Dizoniani & Cyriaci subdiaconorum non potuisse apud vos commendationem reuiuiscere. Compescite, quæso, ab illo prædictisque, quorumcumque videtis animos ac non iustas æmulationes, vt ipse apud nos integer, apud vos, cum suis reparatus, mereatur pacem, non fictam peruidens caritatem. Omnibus igitur vobis ac singulatim occurrat caritas, & vinculis, quæ nullis modis a Christo soluuntur, vobiscum pariter in perpetuum connexa, lætetur in Domino. Datum Idibus Decembris, Constantio viro clarissimo consule.

NOTÆ.

^a *Epistola ad episcopos.*] Hæc est illa epistola quam Innocentius reddidit ad Synodum Macedoniae prouincialem, ex qua pro confirmatione rerum gestarum, missa est legatio ad Innocentium papam, per Vitalem archidiaconum. De qua Synodo infra.

Locus epistole explicatur.

^b *Nam cum Moses legislator clamet.*] His verbis non vult dicere Innocentius nos legibus Iudaicis teneri, sed vult argumentari a simili, vel potius a minori ad maius, hoc modo: Tenebantur sacerdotes veteris testamenti, non ducere uxorem viduam: ergo multo magis conuenit, vt in sacerdotibus nouæ legis ecclesia requirat, ne propter excellentiam sacerdotii Christiani, viduarum mariti fuerint. Bellarm. lib. 4. de Romanis pont. cap. 10.

^c *Bonosus ordinauerat.*] De Bonoso eiusque hæresi vide notas Concil. Capuani supra.

EPISTOLA XXIII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD SYNODVM IN TOLETANA CIVITATE
constitutam.

- | | |
|---|---|
| I. De Hispanorum reprehensione, qui inordinate constituunt clericos. | IV. De commemoratione Nicæni Concilii, in quo supradicta prohibentur. |
| II. Vt caufidici, vel curiales, vel seculari militibus dediti, ad clericum non admittantur. | V. Quales eligendi sunt in ordine clericorum. |
| III. Vt quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur. | VI. De eo qui ante baptismum uxorem habuit, & post baptismum etiam, vt clericus non fiat. |

Concil. Tom. 4.

G

*Innocentius uniuersis episcopis in Toletana Synodo constitutis,
dulcissimis fratribus, in Domino salutem.*

I.

SÆPE me & nimium cum teneret cura sollicitum, super dissensionis schismate ecclesiarum, quod malum per Hispanias latius in dies separationis gradu incedere fama proloquitur, necessarium tempus emerfit, quo non possit emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam de ordinationibus, quas prauæ consuetudinis vitio, Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum maiorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus, ne perturbationes quamplurimas ecclesiis moueremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta sunt, non in dubium vocemus, sed Dei potius dimittamus iudicio.

II.

*Dist. 51. A-
liquantos
ex.*

Quantos enim ex eis, qui post acceptam baptismi gratiam, in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad sacerdotium esse comperimus; e quorum numero Rufinus & Gregorius perhibentur? Quantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt, seuera necessario præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata, fecerunt? Quantos, qui voluptates & editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii peruenisse: quorum omnium neminem, ne ad societatem quidem ordinis clericorum, oportuerat peruenisse? Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda potius hæc putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas prouidere debet, ut tantæ usurpationi, saltem nunc, finis necessarius imponatur, eo videlicet constituto, ut quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinationibus suis deponantur.

III.

Post hæc, si quis aduersus formas Canonum, vel ad ec-

clesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotium venire tentauerit, vna cum ordinatoribus suis, ipso in quo inuenti fuerint ordine & honore priuentur. Et quamuis dilectioni vestra, fratres carissimi, regula Nicæna sint cognita, secundum quas ordines esse faciendos per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est prouisa, inserendam putavi, vt secundum eam ordinationes in posterum celebrandas esse sciamus, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum, quæ sunt prohibita, digerantur.

IV.

Ne quispiam, qui post baptismum militauerit, ad ordinem debeat clericatus admitti, neque qui causas post acceptum baptismum egerint, aut qui post acceptam Dei gratiam administrauerint, neque de curialibus aliquem ad ecclesiasticum ordinem venire posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium (quod dicitur) sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nam & hoc de curialibus est cauendum, ne iidem, qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, poscantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus custodiri.

Nicænae
Synodi
Can. 11.
vel 12.
Erii epist.
Innocentii
ad Victri-
cium Ro-
thomagen-
sem, cap. 11.

V.

Quales vero eligendi sunt in ordine clericorum, euidentis forma declarat, id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & lectorum officio sociati, vel si maiores sunt, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipauerint. Et si vxores habuerint, quaerendum, si vxorem virginem habuerint: quia scriptum est in veteri testamento: *Vxorem virginem accipiat sacerdos.* Et alibi: *Sacerdotes mei semel nubant.* Neque qui duas vxores habuerit, quia Paulus apostolus ait: *Vnius vxoris virum.*

Supra in
Decr. Sirmi-
cii ad Hu-
merium
Tarraco-
nens. cap. 9.

Leuit. 21.

1. Tim. 3.
Tit. 1.

VI.

Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione prauis erroribus opponunt & asserunt, quod ante baptismum omnia dimittuntur, non intelligentes huiusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, non vxorum numerus aboletur. Nam si a Deo, vt scriptum est, *præparatur viro vxor, & quod Deus iunxit, homo non separet,* & ipsi auctores generis humani in origine a Deo bene-

Supra in e-
pist. Inno-
centii ad
Rufum &
Eusebium
&c. cap. 2.

Prov. 19.

Matth. 19.

Concil. Tom. 4.

G ij

dicuntur; quomodo inter peccata ista creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos, qui ita credunt, verum est: ergo omnis iustitia, quæ a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum aufertur. Nul- lus ergo contra apostolum tale aliquid sentiat, nec ad- mittat, sed fideliter intelligat, vnius vxoris virum, si- ue ante baptisma esse nominatum, siue post baptismum. Si enim vxor ante baptismum accepta, non ducitur in numerum; nec filii ex eadem suscepti, inter filios pote- runt nominari. Quod quam absurdum sit atque alie- num, prudentia vestra melius æstimabit. Vnde neminem liceat interpretari aliter diuinas scripturas, nisi quod re- cta ratio permittit, nedum quidam remedia sibi iniqua ad excusationem præparant, ex eo rupisse legem & re- gulas euertisse iudicentur: sed ea tenenda sunt, quæ di- uinarum scripturarum series continet, & a sacerdoti- bus vtili ratione sunt constituta. Bene valeatis, fratres carissimi.

N O T A.

^a *Epistola.*] Hæc est illa Innocentii epistola, quam de factis perpe- ram ordinationibus in Hispania ad Synodum Toletanam scripsit. Ad primum Toletanum Concilium sub Anastasio celebratum referri non posse, ibidem ostendimus. Lector ea consulat quæ in notis eiusdem Concilii Toletani primi diximus.

A D M O N I T I O A D L E C T O R E M
de sequenti epistola.

Sequentis epistolæ pars iam antea edita fuit titulo Innocentii ad episcopos Synodi Toletanæ. In veteribus autem libris, non Toleta- næ scriptum est, sed Tolosanæ: atque hoc etiam modo citari hæc epistola solet in antiquis collectionibus. Qua de re etsi ambigi non iniuria possit, merito tamen illam, cum mutila præfertim hæcenus fuerit, integram hoc loco reponendam esse censuimus.

EADĒM EPISTOLA XXIII.
INNOCENTII PAPÆ I.

AD EPISCOPOS SYNODI TOLOSANÆ,

Ex restitutione Iacobi Sirmondi societatis Iesu.

De diffensione, corruptaque disciplina ecclesiarum
Hispaniæ.

- | | |
|--|---|
| I. <i>Quod episcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæresi conuersos perperam dissideant.</i> | <i>tionibus, ita dissimulari que hætenus usurpata sunt, ut in posterum prohibeantur.</i> |
| II. <i>De episcopis a Rufino & Minicio in alienis ecclesiis contra Canones ordinatis.</i> | V. <i>Vt Gregorii Emeritensis episcopi querela discutatur.</i> |
| III. <i>Vt Ioannis episcopi causa examinetur, aliorumque qui communionis consortium refugiebant.</i> | VI. <i>Quosnam ad clericatus ordinem admittere liceat: qualesque eligendi sint. Et quod bigamum faciat etiam illa que ante baptismum uxor fuit.</i> |
| IV. <i>De vitiosis multorum ordina-</i> | |

Innocentius uniuersis episcopis in Tolosana Synodo constitutis, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

SÆPE me & nimia cum teneret cura sollicitum super diffensione & schismate ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere, & citatiore gradu incedere fama proloquitur, necessarium tempus emerit, quo non posset emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam fratres nostri coepiscopus Hilaris & Elpidius presbyter, partim vnitatis amore permoti, partim qua laborat prouincia pernicie, ut oportuit, excitati, ad sedem apostolicam commearunt, & in ipso sinu fidei violatam intra prouinciam pacem, disciplinæ rationem esse confusam, & multa contra Canones patrum, contempto ordine, regulisque neglectis, in usurpatione ecclesiarum fuisse commissa, nec concordiam, in qua fidei nostræ stabilitas tota consistit, posse retineri, cum dolore & gemitu profecuti sunt: quæ in confessu presbyterii actorum confectione retinentur, & possunt vobis lectione monstrari.

I.

Iam primum, quod ad ipsam fidem attinet, quod Bæ-

G iij

tici vel Carthaginenses episcopi * propter Galliciorum communionem a pace omnium discederunt, orta dissensio est: quæ non solum non minuitur, verum etiam per dies singulos studio contentionis augetur, cum obtinendi proposito vnusquisque quod voluit, æternum orbem mali, & circulum quemdam de tali animositate fecerunt, cum vtique bono cuique in rebus talibus vinci melius sit, quam malo more prauum propositum quod semel placuit obtinere. Nam quæ alia causâ & superioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit a concordia illorum, qui Arianorum hæresim prudenti conuersione damnauerant? Eodem studio post Priscilliani detestabilem sectam omnium merito detestatione damnatam, receptos in catholicam fidem eos qui consilio saniore conuersi sunt, ægerrime aliquos tulisse cognouimus. quibus factum vtile, & ipsam ecclesiarum pacem displicuisse detegitur. Nam cum vnitatis proposito atque concordia, ipsi quoque Symphosius atque Dictinius damnantes prauam hæresim sint recepti, vt personis talibus amputatis extingueretur penitus innata dissensio, inuenti sunt quibus recte facta ipsa correctio displiceret. Et nunc ecclesiæ dissident, quæ non modica a se animositate dissimulant. Quod si saniore consilio a sacerdotibus fuisset custodita correctio, & status catholice fidei integer permaneret, & nullum scandalum concordiam rebus omnibus vtilem corrupisset. Quæro enim, quare doluerint Symphosium atque Dictinium, aliosque qui detestabilem hæresim damnauerunt, receptos in fidem catholicam tunc fuisse? Num quid nam aliquid de honoribus amiserint quos habebant? Quod si quos hoc pungit aut stimulat, legant Petrum apostolum post lacrymas hoc fuisse quod fuerat. considerent Thomã post dubitationem illam nihil de prioribus meritis amisisse. denique Dauid prophetam egregium post manifestam confessionem suam prophetia suæ meritis non fuisse priuatum. Quod si emendatio conuersionis & errores ipsos amputat, & retinet dignitates; quæ malum ratio est, viam recti, & iter quod dirigat ad salutem, proposito pertinaciæ nolle retinere? Quare incumbendum est dilectioni vestræ, & bonis sacerdotibus adnitendum, quatenus præ-

eunte doctrina in vnitatem catholicæ fidei omnes qui dispersi sunt congregentur, & esse inexpugnabile vnum corpus incipiat, quod si separetur in partes, ad omnes patebit lacerationis iniurias, & ex sese pestem patietur internam, quando secum compago ipsa conflagit. Sed hæc generaliter de vnitatis reformatione omnes, tamquam singulis scripta sint, accipiant sacerdotes. Dehinc in partes animum super omnibus dilectio vestra quæ proponentur intendat.

II.

Non enim latere potuit, quod Rufinus atque Minicius episcopi in alienis ecclesiis, contra Nicænos Canones, episcopos vsurpauerunt ordinare. Hæc ne quis sibi audeat vendicare, saltem nunc a nobis est salubriter providendum, ne improba vsurpatione dissimulatio in deterius conualecat, & fiat de consuetudine regula, quæ non veniat ab ipsa quæ literis mandata est disciplina. Quæ in re Hilari fratris & confacerdotis nostri querela primitus audiatur, qui asseruit Rufinum contra ecclesiarum pacem omni oppugnatione fuisse versatum, & dudum in Concilio Toletano erroris sui veniam postulasse, & nunc, cum metropolitano episcopo ordinandi sacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem, & disciplinæ rationem, episcopum locis abditis ordinasse, ecclesias scandalis miscuisse. Dehinc Tarraconensium episcoporum est causâ tractanda, qui pari modo Minicius in Gerundensi ecclesia episcopum ordinasse conquesti sunt; & iuxta Nicænos Canones ferenda est de tali vsurpatione sententia. Illorum etiam episcoporum, qui a Rufino vel a Minicio contra regulas ordinati sunt, habeatur plena discussio; vt quia perperam facti sunt, intelligant id quod vitioso initio adepti sunt se diutius obtinere non posse.

III.

De Ioanne quoque episcopo, cuius in Synodo Toletana super receptis Symphosio atque Dictinio per legatos consensus accessit, & cui probabilis visâ illa correctio, examinentur quæ postea sunt secuta; & prorsus super omnibus, quorum in dubium venit de cessatione communio, plena inquisitio vestigetur: vt secundum

Decretum Synodi Toletanæ, vel communionis confortio propter abolendam suspicionem schismatis miscantur, vel si qui fuerint deprehensi qui abnuant concordiam & constituta placitorum, a communione catholice fidei per dilectionis vestræ sententias abdicentur: ut iam non internum malum, quod tacitum non desinit ferpere, sed schismaticorum manifesta professio contagioque vitetur.

IV.

Nam de ordinationibus, quas prava consuetudinis vitio Hispanienses episcopos celebrare cognoscimus, fuerat aliquid secundum maiorum traditionem statuendum, nisi perpenderemus ne perturbationes quamplurimis ecclesiis moueremus. Quorum factum ita reprehendimus, ut propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta sunt in dubium non vocemus, sed Dei potius iudicio dimittamus. Quantos enim ex his qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciã susceperunt, ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero Rufinus & Gregorius perhibentur? Quantos ex aliqua militia, qui cum potestatibus obedirent, seuera necessario præcepta sunt executi? Quantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos qui voluptates & editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotii peruenisse: quorum omnium neminem ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat peruenire? Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Hispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus. Idcirco remittenda potius hæc putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas providere debet, ut tantæ usurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, ut si qui post hæc aduersus formas Canonum, vel ad ecclesiasticum ordinem, vel ad ipsum sacerdotiũ venire tentauerint, vna cum creatoribus suis ipso, in quo inuenti fuerint, ordine & honore priuentur.

V.

Gregorii etiam Emeritenſis episcopi, qui in locum
Pa-

Patruini venerabilis recordationis est ordinatus, querela, si qua est, audiatur: & si contra meritum suum passus est iniuriam, in inuidos honoris alterius vindicetur: ne posthac in quemquam bonorum spiritus factionis insurgat.

VI.

Et quamuis dilectioni vestra, fratres carissimi, regulæ Nicænæ sint cognita, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis: tamen aliquam partem, quæ de ordinationibus est prouisa, inferendam putavi, vt secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quæ sunt prohibita digeruntur. Ne quispiam qui post baptismum militauerit, ad ordinem debeat clericatus admitti: neque qui causas post acceptum baptismum egerint; aut qui post acceptam Dei gratiam administrauerint: neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum vel coronati fuerint, vel sacerdotium quod dicitur sustinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nã & hoc de curialibus est cauendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter videmus accidere, reposcantur. Quæ omnia rationabiliter prohibita oportet modis omnibus custodiri. Quales vero eligendi sint in ordine clericorum, euidentis forma declarat. Id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & electorum officio sociati: vel si maiores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus mancipauerint. Et si vxores habuerint, quærendum si vxorem virginem acceperint: quia scriptum est in veteri testamento: *Vxorem virginem accipiat sacerdos.* & alibi: *Sacerdotes mei semel nubant.* Neque qui duas vxores habuerit, quia Paulus apostolus ait: *Vnius uxoris virum.* Nec illud debere admitti, quod aliquanti pro defensione prauis erroris opponunt & asserunt, quod ante baptismum vxor accepta non debeat imputari, quia in baptismo omnia dimittuntur. Non intelligentes huiusmodi, quod sola in baptismo peccata dimittuntur, nec vxorum numerus aboletur. Nam si a Deo, vt scriptum est, *preparatur viro vxor, & quod Deus coniunxit, homo non separet,*

Leuit. 21.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

Prou. 19.

Matth. 19.

& ipsi auctores generis humani in origine a Domino benedicuntur, quomodo inter peccata ista creduntur posse dimitti? Quod si secundum illos qui ita credunt verum est, ergo omnis iustitia, quæ a catechumenis ante baptismum fuerit operata, per baptismum auferetur. Nullus ergo contra apostolum tale aliquid sentiat, nec admittat: sed fideliter intelligat, vnius vxoris virum, siue ante baptismum, siue post baptismum, esse nominatum. Si enim vxor ante baptismum accepta non ducitur in numerum, nec filii ex eadem suscepti inter filios poterunt numerari. Quod quam absurdum sit, atque alienum, prudentia vestra melius æstimabit. Vnde nemini liceat interpretari aliter diuinas scripturas, nisi quod recta ratio permittit: ne dum remedia sibi iniqua ad excusationem præparant, & corrupisse legem, & regulas euertisse iudicentur. Sed ea tenenda sunt, quæ & diuinarum scripturarum series continet, & a sacerdotibus vtili ratione sunt instituta. *Et alia manu.* Bene valete, fratres carissimi.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Ad episcopos Synodi Tolosane.*] Etsi ambigui esse tituli epistolam monuimus, dubium tamen non videtur, quin scripta sit ad episcopos Hispaniæ, post Synodum quidem Toletanam, sed de rebus in ea gestis, vel postea consecutis. idque vt mihi persuadeam ducor argumento non leui, quod cap. 6. exponetur. Quare antiquam inscriptionem epistolæ restituendam censeo, vt in *Toletana Synodo* legatur.

Cap. 1.

² *Propter Galliciorum communionem.*] In Synodo Toletana Symphosius & Dictinius cum aliis, vt Idacius in chronico refert, e Gallæcia episcopis, damnata Priscilliani hæresi, recepti fuerant in communionem, retentis honoribus quos habebant. Quod non probantes Bæitici & Carthaginenses, a ceteris episcopis, qui eos receperant, desciuerunt. Dari ergo vult operam pontifex, vt qui desciuerunt ad communem pacem reuocentur.

³ *Illius Luciferi.*] Calaritani apud Sardos episcopi, qui schismatis in ecclesia auctor fuit, cum episcopos in Synodo Ariminensi lapsos, quamuis resipiscentes, recipi nollet, ab iisque se qui eos receperant segregaret. Sulpitius Seuerus: *Lucifer intantum eos qui Arimini fuerant condemnauit, vt se etiam ab eorum communionem secreuerit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent.*

⁴ *Numquid nam aliquid.*] Lege, *Nam quod non aliquid*, ex codice Bonæuallis.

⁵ *Rufinus atque Minicius.*] Synodus Nicæna Can. 4. episcopum ab episcopis prouinciæ cum metropolitani auctoritate fieri iubet. Contra hunc Canonem commiserant Rufinus & Minicius; quorum uterque sine conscientia metropolitani, alter etiam in aliena prouincia, episcopos ordinarant. Quare & in vsurpatores animaduerti oportere ait, & ab his temere ordinatos honore carere quem adepti sunt, iuxta Canonem 6. Synodi eiusdem, quo cautum est, eum qui præter sententiam metropolitani factus fuerit episcopus, episcopum esse non debere.

⁶ *De Ioanne episcopo.*] Ioannes hic Synodo Toletanæ, redeuntis ab hæresi recipienti, per vicarios consenserat: postea subduxisse se, & contra sententiam suam venisse ferebatur. In hunc ergo, atque in alios, qui a communionis consortio cessasse videbantur, plenius inquiri, deprehensosque, si ad concordiam redire abnuant, excommunicari iubet.

⁷ *De ordinationibus.*] De iis qui praua consuetudine in Hispania ex diuersis generibus hominum, quos Canones a clerici gradibus excludunt, creati hæctenus fuerant episcopi, sic indulget, vt pœna vitiose deinceps ordinatis ordinantibusque proposita, in posterum abstinere præcipiat.

⁸ *In locum Patruini.*] Discrepant inter se rerum Hispanicarum scriptores, cuius sedis episcopus fuerit Patruinus, qui Concilio primo Toletano præfuit. Alii enim Toletanum antistitem fuisse coniciunt, alii Bracarensem, alii neutram illorum sententiam satis firmam ducunt. Ex hoc loco apparet, quod in mentem illis non venerat, Emeritensem episcopum fuisse, cui iam defuncto Gregorius hoc tempore successerat.

⁹ *Per sententiam decernitis.*] Manifestum est alludi ad Decretum Synodi Toletanæ, quod in eius actis primo loco positum est his verbis: *Patruinus episcopus dixit: Si placet, communi consilio decernamus, quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit obseruandum. Mihi autem placet constituta primitus Concilii Nicæni perpetuo esse seruanda, nec ab us esse recedendum. Episcopi dixerunt: Hoc omnibus placet.* Quæ cum ita sint, liquet profecto, Innocentium hoc loco alloqui episcopos qui Toletano Concilio adfuerant, ac proinde Synodo Toletanæ inscribi epistolam debere, vt dictum est.

Epistola Concilii Carthaginensis ad Innocentium papam, sic incipiens: *Cum ex more*, &c. extat infra post dictum Concilium.

Ex l. epist.
S. August.
epist. 91.

EPISTOLA XXIV.

INNOCENTII PAPÆ I.

Rescriptum ad Concilium Carthaginense.

Innocentius Aurelio, & omnibus sanctis episcopis vel ceteris, qui in Concilio Carthaginensis ecclesie adfuerunt, dilectissimis fratribus, in Domino salutem.

* **I**NQVIRENDO de his rebus, quas omnium sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero iustoque & catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & ecclesiasticæ memores disciplina, vestræ religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid apostolicæ sedis (cum omnes, hoc loco positi, ipsum sequi desideremus apostolum) debeat, a quo ipse episcopatus & tota auctoritas nominis huius emerit. Quem sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quam probare laudanda: vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia: ut quidquid, quamuis de disjunctis remotisque prouinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad huius sedis notitiam perueniret, ut tota huius auctoritate (iusta quæ fuerit) pronuntiatio firmaretur: indeque sumerent ceteræ ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti in cœno inmundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret. Gratulor igitur, carissimi fratres, quod per fratrem & coepiscopum nostrum Iulium, literas ad nos destinastis: & cum pro illis curam geritis, quibus præsidetis, ecclesiis, sollicitudinem vestram pro omnium vtilitate monstratis: & per cunctas totius orbis ecclesias, quod omnibus profit, decernendum esse vna deposcitis: ut suis constabilia regulis eccle-

* In requirendis his

fia, ex hoc quod illos caueat, pronuntiationis iustæ firmata Decretalibus pauere non possit, qui peruersis instructi, imo destructi verborum argutiis, sub imagine catholice fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, (vt hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpant) totam veri dogmatis quærunt euertere disciplinam. Sanandum ergo celerius, ne longius execrandus animis morbus inferpat. Vt si medicus (cum viderit huius terreni corporis aliquem esse languorem) magnum suæ artis æstimat documentum, si cito quis illius interuentu, desperatus, euadat. Vel cum putre vulnus aspexerit, adhibet fomenta, vel cetera, quibus illud possit, quod natum fuerat, vulnus obduci. Ac, si id manens, sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputet quod nocebat, quo reliquum integrum seruet & intactum. Præcidendum ergo id est, quod velut puro sanoque nimium corpori vulnus obrepfit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus huius mali non exhaurienda post sentina confidat. Nam quid nos post hæc rectum de eorum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi, quod boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur? Sed iam isti, qui tales sunt, nullam Dei gratiam consequuntur: quia sine illo tantum assequi se posse confidunt, quantum vix illi, qui ab illo postulant & accipiunt, promerentur. Quid enim tam iniquum esse potest, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quam huic te negare debere, quidquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere, quod natus es? Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quam potest is esse, qui te, vt esses, effecit? Et cum te putet ei debere, quod viuis, quomodo te non putas illi debere, quod (quotidianam eius consequendo gratiam) taliter viuis? Et qui nos adiutorio negas indigere diuino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfectos, quomodo non adiutorium in nos, cum tales a nobis etiam esse possumus, prouocamus? Qui enim adiutorium Dei negat, vellem interrogare quid dicat: Nos non mereri, an illum hoc non posse præstare, an nihil esse, propter quod vnusquisque hoc debeat postulare? Possit hoc Deū,

Istud allegatur infra 5. cap. primæ Decr. adscriptæ Celestino papæ.

opera ista testantur: & adiutorio quotidiano nos egere, negare non possumus. Hoc enim, seu bene viuimus, precamur, vt melius sanctiusque viuamus: seu prauè sentientes, a bonis auertimur, vt ad rectam redeamus viam, eius auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium (cum nasceremur) accepimus, vltra iam a Domino nihil quæramus: id est, auctoris nostri obliti, eius potentiam, vt nos ostendamus liberos, abiuremus: quasi iam amplius, quod dare possit, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit: nescientes, quod nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Nam si ille clamat adiutorio sibi opus esse diuino, qui digne hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset, quippe cum vir beatus, & iam electus a Domino, nihil egeret, tamen ita Deum deprecatur postulans: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus*: nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem: quod nati sumus, posse sufficere nobis, dicimus: ille Deum, ne derelinquatur, exorat: Non (rogo) manifeste discimus quid oremus, cum ille tantopere beatus (vt supra diximus) vir, ne despiciatur exoptat? Illi enim necesse est ista arguant, qui illa confirmant. Dauid enim orationis ignarus, & suæ naturæ nescius, accusetur, qui cum sciat tantum in sua natura esse adiutorem sibi Deum, & assiduum adiutorem, nec illi sufficit assiduum, sed ne aliquando illum despiciat, orationibus pronus exoptat, & per corpus omne psalterii hoc & prædicat, & clamat. Si ergo hoc ille ita magnum scit, vt assidue diceret: ita necessarium confessus est, vt doceret: quem admodum Pelagius Cælestiusque seposita omni responsione psalmorum, talique abdicata doctrina, suasuros se aliquibus esse confidunt, nos adiutorium Dei nec debere quærere, nec egere, cum omnes sancti nihil se sine hoc agere posse testentur? Liberum enim arbitrium olim ille perpeffus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens, in

Psal. 26.

Verba hæc
Innocentii
refricantur

præuaricationis profunda demersus est: & nihil, quem-
admodum exinde surgere posset, inuenit: suaque in æter-
num libertate deceptus, huic ruinæ suæ iacuisse oppres-
sus, nisi eum postea Christi, per suam gratiam, releuasset
aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem,
præteritum omne vitium sui baptismatis lauacro purga-
uit: & eius confirmans statum, quo rectius stabilius-
que procederet, tamen suam gratiam in posterum non
denegauit. Nam quamuis hominem redemisset a præ-
teritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare,
ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum &
post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstans
illi remedia: quibus nisi freti, confisque nitamur, nulla-
tenus humanos vincere poterimus errores. Neesse est
enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiu-
uante vincamur. Sed possem plura dicere, nisi vos con-
staret cuncta dixisse. Quisquis ergo huic assentiens vide-
tur esse sententiæ, quod dicat, adiutorio nobis non opus
esse diuino, inimicum se catholicæ fidei, & Dei benefi-
ciis profitetur ingratum. Nec nostra communione sunt
digni, quam, prædicando taliter, polluerunt. Sic enim
sua sponte, dum sequuntur illa quæ dicunt, longius a ve-
ra religione fugerunt. Cum enim hoc totum in nostra
professione consistat, quotidianisque precibus nihil aga-
mus, nisi quemadmodum Dei misericordiam consequa-
mur, quemadmodum ferre possumus ista iactantes? Quis,
rogo, tantus illorum pectora error obcæcat, vt si ipsi nul-
lam Dei gratiam sentiunt, quia nec digni sunt, nec me-
rentur, nec de aliis considerent, quid quotidie singulis
gratia diuina largiatur? Sunt quidem isti omnes cæcita-
te dignissimi, qui nec hoc sibi reliquerunt, vt se auxilio
credant reuocari ab erroribus posse diuino. Negantes
enim Dei adiutorium, non aliis, sed sibi hoc penitus ab-
tulerunt, qui auellendi sunt longius, & ab ecclesiæ procul
remouendi visceribus, ne diutius multa occupans, insa-
nabilis post error increpescat. Si enim diu fuerint sub hac
impunitate versati, neesse est multos in hanc suæ prauit-
tatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel
potius imprudentes, qui fidem catholicam non sequun-
tur. Putabunt enim eos recte sentire, quos adhuc vident

in cap. 4.
Decr. pri-
mæ adscri-
ptæ Cele-
stino pape.

in ecclesia perdurare. Separetur ergo a fano corpore vulnus insanum, remotoque morbi sævientis afflatu, cautius, quæ sunt sincera, perdurent, & grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur. Sit totius corporis illibata perfectio, quam vos sequi & tenere, hac in illos pronuntiatione cognouimus, & vna vobiscum pari assensione feruamus. Qui si tamen aliquando in se Dei adiutorium, quod hucusque negauerunt, prouocauerint, & opus sibi eius auxilium esse cognouerint, vt de hac labe (in qua sui cordis incuruatione corruerant) liberentur, & quasi in lucem de fœda tracti caligine, (remotis abdicatisque omnibus, quibus totus, ne verum aspiceret, fœdabatur & caligabat aspectus) damnent hæc, quæ hucusque senserunt: & aliquando animum rectis disputationibus commodantes, ab hac aliquantulum labe correcti, veris se sanandos consiliis tribuant atque submittant: quod si fecerint, erit in potestate pontificum, istis aliquatenus subuenire, & talibus aliquam curam præstare vulneribus, quam solet lapsis (cum resipuerint) ecclesia non negare: vt a suis remoti præcipitiis, intra ouile Domini redigantur: ne foris positi, & tanto præsidio a fide munitionis exclusi, periculis omnibus exponantur, deuorandi luporum dentibus atque vexandi, quibus obsistere, hac, qua illos in se irritauerant, doctrinæ peruersitate non possunt. Sed satis vestris monitis, & sic satis abundantibus nostræ legis exemplis probatur esse responsum. Nec quidquam superesse duximus, quod dicamus, cum nihil prætermissum a vobis, nihil constet esse suppressum, quo illi refutati & penitus cognoscantur esse conuicti. Ideoque a nobis testimonia nulla ponuntur, quia & his plena relatio est, & satis constat, vt doctissimos sacerdotes cuncta dixisse. Nec decet credere, vos aliquid, quod ad causam possit proficere, præterisse. *Et alia manu.* Bene valete, fratres.

Epistola Concilii Mileuitani ad Innocentium papam, sic incipiens:
Quia te Dominus gratia, &c. subditur infra eidem Concilio.

EPISTOLA XXV.

INNOCENTII PAPÆ I.

RESCRIPTVM AD MILEVITANVM CONCILIVM.

Concilii acta aduersus Pelagium & Cælestium confirmans,
 illos eorumque sectatores anathemate notat.

*Innocentius Siluano seni, Valentino, & ceteris qui in Mileuitana
 Synodo interfuerunt, dilectissimis fratribus,
 in Domino salutem.*

INTER ceteras ecclesiæ Romanæ curas, & apostolicæ
 sedis occupationes, quibus diuersorum consulta fideli
 ac medica disceptatione tractamus, frater & coepisco-
 pus noster Iulius dilectionis vestræ literas, quas ex Mile-
 uitano Concilio cura fidei propensiore misistis, mihi in-
 opinanter ingessit, Carthaginensis etiam Synodi querelæ
 parilis scripta subiungens. Nimirum exultat ecclesia, tan-
 tam sollicitudinem commissis gregibus exhibere pastores,
 vt non solum neminem ex his patiantur errare, sed si quas
 ouium magis obscenæ delectationis herba seduxit, ac
 si in errore permanerint, aut segregari penitus velint, aut
 illicite vel inlicenter dudum petita vitantes, custodiæ pri-
 stinæ circumspectione tutari: in vtraque parte videlicet
 consulentes, ne vel suscipiendo tales, simili ceteræ ducan-
 tur exemplo, vel spernendo redeuntes, luporum morfi-
 bus videantur ingestæ. Prudens admodum & catholicæ
 fidei plena consultationis voluntas. Quis enim aut tolera-
 re possit errantem, aut non recipere corrigentem? Nam
 vt durum arbitror, conniuentiam præbere peccantibus:
 ita impium iudico, manum negare conuersis. Diligenter
 ergo & congrue apostolici consulitis honoris arcana: ho-
 noris (inquam) illius, quem præter illa quæ sunt extrin-
 secus, sollicitudo manet omnium ecclesiarum, super anxiis
 rebus quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ
 formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis
 esse seruata. Verum hæc missa facio. Neque enim hoc
 vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione

91. inter
 epist. D.
 August.

24. quest.
Quoties
ratio fidei.

firmastis, scientes quod per omnes prouincias de apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inuentores malorum ad duplicis relationem Synodi, sententiæ nostræ statutis viderint ab ecclesiastica communione seiunctos. Gemino igitur bono caritas vestra fungetur. Nam & Canonum potiemini gratia seruatorum, & beneficio vestro totus orbis * tutabitur. Quis enim catholicorum virorum cum ad- * vrtu.
uersariis Christi velit vltius miscere sermonem? Quis saltem ipsam lucem vitæ communione partiri? Noua hæreseos nimirum fugiantur auctores. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, quam cum adiutoria diuina cassarent, causamque quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere: Quo mihi opus Deo? Merito in hos dicat hymnidicus: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi.* Negantes ergo auxiliū Dei, inquit hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere diuina; qua priuatus, necesse est, diaboli laqueis irretitus, occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendat. O prauissimarum mentium peruersa doctrina! aduerte tandem, quod primum hominem ita libertas ipsa deceptit, vt dum indulgentius frenis eius vtitur, in præuaricationem præsumptione conciderit. Neque ex hac potuit erui, nisi prouidentia ei regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset aduentus. Audiatur David dicentem: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Et, *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Quæ incassum dixerit, si tantum in eius erat positum voluntate, quod a Domino flebili sermone poscebat. Quæ cum ita sint, cumque in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei legamus esse necendum, eamque nihil posse cælestibus præfidiis destitutam: quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter (vt asseritis) defendentes, sibimet, imo (quod est

Psal. 51.

Psal. 123.
Psal. 126.

dignius dolore communi) plurimis Pelagius Cælestiusque persuadent? Multifariis equidem ad destruendum tale magisterium vti possemus exemplis, nisi sciremus & sanctitatem vestram ad plenum scripturas omnes calle-re diuinas, præsertim cum vestra relatio tantis ac tali-bus testimoniis sit referta, vt his solis valeat præfens dog-ma rescindi, opusque non esse reconditis, cum his (quæ facile vobis occurrentia posuistis) nec audeant obuiare, nec possint. Ergo Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate, quæramus: quippe qui nec alias diaboli machinas, nisi eadem iuuante, possumus vitare. ^b Illud vero, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmiis, absque baptismatis gratia, posse donari, perfa-tuum est. ^c *Nisi enim manducauerint carnem filii hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cum prædicant, hos habere, quod in eos creditur non nisi baptisate cõ-ferendum. Si ergo nihil volunt officere, non renasci: fa-teantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta pro-desse. Verum vt superfluorum hominum praua doctrina celeri veritatis possit ratione discindi, proclamat Domi-nus in euangelio, dicens: *Sinite infantes, & nolite eos pro-* ^{Matth. 19.} *hibere venire ad me: talium est enim regnum cælorum.* Quare Pelagium Cælestiumque, id est, inuentores vocum no-uarum, quæ (sicut dixit Apostolus) ædificationis nihilum, ^{1. Tim. 1.} sed magis vanissimas consueuerunt parare quæstiones, ecclesiastica communione priuari, apostolici vigoris au-ctoritate censemus, donec resipiscant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur, secundum ipsius voluntatem: eosque interim Dominico ouili non recipi, quoad ipsi peruersæ viæ quem secuti sunt tramitem deferere volue-rint. Abscindendi sunt enim qui nos conturbant, & vo-lunt conuertere euangelium Christi. Simul autem præ-cipimus, vt quicumque id pertinacia simili defendere ni-tuntur, par eos vindicta constringat: *non solum enim qui fa-* ^{Rom. 1.} *ciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: quia non multum interesse arbitror, inter committentis animum, & con-sentientis fauorem. Adde & amplius: Plerumque dedi-*

Ezech. 33.

scit errare, cui nemo consentit. Hæc igitur, fratres carissimi, in supradictos maneat fixa sententia: absint atriis Domini: careant dumtaxat custodia pastorali, ne duarum ouium dira contagia serpent forsitan per vulgus incautum, rapacique lupo corde latetur intra ouile Dominicum tantas ouium fufas cateruas, dum a custodibus dissimulanter habetur vulnus duarum. Prospiciendum est ergo, ne permittendo lupos, mercenarii magis videamur esse quam pastores. Iubemus sane, quia Christus Dominus noster propria voce signauit, *nolle se mortem morientis, sed tantum, ut reuertatur & uiuat*: ut si vnquam ad sanum (deposito prauo dogmatis errore) resipuerint, damnauerintque ea, quorum se ipsi prauaricatione damnauerunt, eis medicinam solitam, id est, receptaculum suum, ab ecclesia non negari: ne, dum eos redeuntes forsitan prohibemus, vere extra ouile remanentes, expectantis hostis rapidis faucibus glutiantur, quas in semetipfos spiculis malæ disputationis armarunt. Bene valete fratres. Datum sexto Kalendas Februarii, Honorio & Constantio viris clarissimis consulibus.

NOTÆ.

^a *Epistola.*] Hæc epistola, ob consularem notam ad finem adiectam, a censore quodam non catholico, velut supposititia reicitur, auctoritate Mariani Scoti & Onuphrii, qui anno Christi 416. Theodosio videlicet & Palladio consulibus, Innocentium obiisse scribunt. Sed cum Marcellini comitis, cuius maior auctoritas est, testimonio constet, Zosimum papam Innocentio subrogatum, anno Christi 417. eodem quo Honorius 12. & Constantius 11. consulatum agebant, iniqui censoris calumniam sustinenter detectam opinor.

^b *Illud vero quod, &c.*] Hinc constat Innocentii I. sententia (quæ sexcentos circiter annos viguit in ecclesia, quamque S. Augustinus sectatus est) eucharistiam etiam infantibus necessariam fuisse. Verum cum præceptum de eucharistia sumenda eos, qui eandem sumere non possunt, non obliget: impotentes autem ad sumendum censentur ii, qui eam reuerenter sumere nequeunt, ecclesia multorum sæculorum vsu, & Concilii Tridentini (sess. 21. cap. & Can. 4.) Decreto informata recte decreuit, eucharistiæ sumptionem infantibus non solum non esse necessariam, sed ne quidem decere, ut iisdem ea communicetur & distribuatur.

^c *Nisi enim manducauerint, &c.*] Per hæc verba viri quidam non vulgariter docti existimarunt Innocentium hunc locum S. Ioannis euangelistæ, non de eucharistiæ, sed de baptismi sumptione inter-

pretari. Decepti sunt, quod vim argumenti, quo pontifex utitur, non fuerunt assecuti. Ille enim ut Pelagium (qui docebat baptismum infantulis patre fidei prognatis, ideoque originale peccatum non contrahentibus, necessariū non esse) conuinceret, hac ratiocinatione hic utitur: Quibus necessaria est eucharistiæ sumptio, iisdem baptismi sumptio magis est necessaria: siquidem ad sanctissimam eucharistiam reuerenter sumendam, nemo, nisi ante rite & legitime baptizatus admittatur: at infantulis omnibus est necessaria eucharistiæ sumptio, ergo infantulis omnibus etiam est necessaria susceptio baptismi. Minorem, quam ille tunc temporis sustinebat, probabat per prædicta verba S. Ioannis, iuxta eam expositionem accepta, quæ praxi ecclesiæ nunc repugnat.

Epistola familiaris quinque episcoporum ad supradictum papam, quæ sic incipit: *De Conciliis duobus prouinciæ*, extat infra post Concilium Mileuitanum.

*EPISTOLA XXVI.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD AVRELIVM, ALYPIVM, AVGVSTINVM,
EVODIVM, POSSIDIVM, EPISCOPOS.

De Pelagio hæretico.

*Innocentius Aurelio, Alypio, Augustino, Euodio, Possidio,
episcopis, salutem.*

FRATERNITATIS vestræ literas, plenas fidei, totoque religionis catholicæ vigore firmatas, a duobus missas Conciliis, per fratrem & coepiscopum nostrum Iulium, pergrato suscepimus animo, quod earum tenor, omnifque contextio in consideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione, qui contra sentiunt, integra ratione consistit, ut & illis omnem tollere possit errorem, & idoneo dato cuius nostræ legis exemplo, quem sequi debeant, dignum possint præbere doctorem. Sed de his iam satis, ut opinor, supra diximus, cum vestris relationibus respondentes, rescripsimus, quid vel de illorum perfidia, vel de vestra sententia sentiremus. Sed subinde contra eos subuenit & suppeditat quod dicatur: nec potest aliquando esse quod vincat, cum tam miserum impiumque sit, quod nostræ virtute fidei & ipsa plenius veritate vincatur. Qui enim omnem vitæ spem respuit atque contempnit, inimica damnabilique cor suum disputatione

confundens, credit nihil esse, quod a Deo accipiat, nec aliquid superesse, quod petat ad sanandum se, qui sibi hoc abstulit, vltius quid reliquit? Si ergo sunt aliqui, quos in sui defensionem peruersitas tanta deuinxit, (quod huic se dogmati dedant atque coniungant, sperantes hoc ad catholicam pertinere doctrinam, quod oberrans longius, & penitus approbatur aduersum) infecti illorum & monitis, & verbis, vt laberentur, inducti: quatenus ad rectum viae tramitem redeant, festinabunt, ne diutius mentem obsidens, velut eorum sensus vastus error inuadat. Nam si Pelagius, quocumque restitit loco, eorum animos (qui facile vel simpliciter crederent disputanti) hac affirmatione decepit, (seu hac illi in vrbe sint, quod nescientes, nec manifestare possumus, nec negare, cum etsi sunt, lateant: nec aliquando audeant vel illum prædicantem ista defendere, vel talia aliquo nostrorum præsentem iactare, & in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facile, nec alicubi possit agnosci, siue in quouis terrarum loco degant) Dei nostri misericordia gratiaque credimus quod facile corrigantur, audita eius damnatione, qui fuerit pertinax, & resistens huius dogmatis auctor inuentus.

Nec interest, vbi isti fuerint, dum, vbi cumque inueniri potuerint, sint sanandi. Nobis tamen nec persuaderi potest, eum esse purgatum, quamuis ad nos (a nescio quibus laicis) sint gesta perlata, quibus ille & auditum se crederet, & absolutum. Quæ, vtrum vera sint, dubitamus, quod sub nulla illius Concilii prosecutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hac re literas, apud quos istius rei iste præstitit causas. Quod si de sua ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus, quod egisset, quod multo verius esse poterat, vt illos cogeret epistolis suis, quid iudicauerant, indicare. Verum cum sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ obiecta partim ille vitando suppressit, partim, multa in se verba retorquendo, tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumētis, quam vera ratione (vt ad tempus videri poterat) purgavit, alia negando, alia falsa interpretatione vertendo. Sed vtinam (quod magis optandum est) etiam ille se ad veram catholicæ fidei viam, ab illo sui tramitis errore conuertat, vt

cupiat velisque purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adiutoriumque cognoscens, ut videatur vere, & approbetur ab omnibus manifesta ratione correctus; non gestorum iudicio, sed ad catholicam fidem corde conuerso. Vnde non possumus illorum nec approbare nec culpā iudicium, cum nesciamus, utrum vera sint gesta: aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse. Qui si confidit, nouitque, non nostra dignum esse damnatione, quod dicat: aut iam hoc totum se refutasse, quod dixerat: non a nobis accersiri, sed ipse debet potius festinare, ut possit absolui. Nam si adhuc taliter sentit, quando se nostro iudicio, quibusuis acceptis literis, cum sciat damnandum se esse, committet? Quod si accersendus esset, ab his melius fieret, qui magis proximi, & non longo terrarum spatio videntur esse disiuncti. Sed non deerit cura, si medicinæ præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis literis, erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare, fratres carissimi.

Librum sane, qui eius esse diceretur, nobis a vestra caritate transmissum, euoluimus: in quo multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitus displiceret, a quouis damnandum atque calcandum, cuius similia (nisi qui ista scripserat) nemo alter in mentem reciperet, atque sentiret. Nam hoc loco de lege latius disputare, velut coram posito repugnanteque Pelagio, necessarium esse non duximus, cum vobiscum, totam rem scientibus, parique nobiscum assensione gaudentibus, colloquamur. Tunc enim melius hæc exempla ponuntur, quando cum his, quos harum constat rerum prudentes esse, tractamus. Nam de naturæ possibilitate, de libero arbitrio, & de omni Dei gratia, & quotidiana gratia, cui non sit recte sentienti vberimum disputare? Anathematizet ergo ista quæ sensit, ut illi, qui eius sermonibus fuerint præceptisque collapsi, quid tandem habeat fides vera cognoscant. Facilius enim reuocari poterunt, cum ista a suo senserint auctore damnari. Quod si ille pertinaciter in hac voluerit impietate persistere, agendum est, quatenus vel his possit subueniri, quos non suos, sed huius magis error induxit, ne & illis hæc medicina pereat, cu-

ius iste talem non admittit nec postulat curam. Deus vos custodiat incolumes, fratres carissimi. Data 6. Kalendas Februarii.

NOTA.

Occasio
scriptæ epi-
stolæ.

^a *Epistola XXVI.*] Cum quinque episcopi Africani priuatis & familiaribus literis, ne verenda patris sui reterege viderentur, Innocentium de occultis quibusdam rumoribus, de ipso sparsis, quasi nimirum Pelagianæ hæreseos fautor esset & protector, ipsumque Pelagium in communionem catholicam recepisset, certiore reddidissent, vt omnem suspicionem e cordibus Africanorum eximeret publicis publicas, priuatis priuatas epistolas reddidit, quibus, quid de Pelagio & Palæstino Concilio sentiret, rescripsit. Vide Baron. anno 416. num. 12. & 14.

EPISTOLA XXVII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD AVRELIUM CARTHAGINENSEM EPISCOPVM.

Eum familiariter salutat.

Innocentius Aurelio episcopo Carthaginiensi.

IN familiaribus scriptis dilectio vera consistit. Etenim ^{* ius fir-} ^{mius} firmitus caritatis officia melius se orsa mercantur. Quã obrem per fratrem nostrum Iulium epistolæ extrinsecus missæ respondere gestiui, ne apud me forsitan remaneret peculiaris negatæ salutationis offensâ, frater carissime. Supradictum igitur fratrem nostrum tuæ dilectioni restituo, cum apostolicæ sedis ^{* dignum} ^{ad} ad relationem duplicis Synodi iudicatis. Superest, vt oratus a nobis Dominus, præstare dignetur, quatenus omnis ecclesiæ suæ macula, continuis laboribus nostris possit abstergi. Dominus custodiat te incolumem, frater carissime. Data 6. Kalendas Februarii.

EPI-

EPISTOLA
S. IOANNIS CHRYSOSTOMI
AD INNOCENTIVM PAPAM.

Rogat pontificem vt suos persecutores censuræ ecclesiasticæ subiiciat, se vero iustum iudicium subire paratum, in fontem iudicet, & ecclesiæ suæ restituat.

Innocentio episcopo Romæ, domino meo reuerendissimo, pientissimoque, Ioannes in Domino salutem.

ETIAM antequam reddita sunt literæ nostræ, opinor pietatem vestram audiuisse, quidnam hic patrare aucta fuerit iniquitas. Ea enim rerum est magnitudo & grauitas, vt nulla ferme orbis pars relicta sit, quæ tristem hanc tragœdiam non audierit. Quandoquidem fama vsque ad fines terræ perlata, plurima vbique lamenta & eiulatus excitauit. Verum quia non satis est plangere, sed opus etiam vt cura geratur, & spectetur qua ratione, & quo consilio grauissima illa ecclesiæ tempestas sedetur. Proinde necessarium esse duximus, vt persuadeatur Demetrio, Pansophio, Pappo, & Eugonio, dominis meis maxime venerabilibus, piisque episcopis, relictis negotiis propriis, pelago se committere: susceptaque longinqua peregrinatione hac, ad vestram properare caritatem, de omnibus vos manifeste docentes, quo quantocius rebus succurratur. Misimus autem cum eis venerabiles dilectosque diaconum Paulum & Cyriacum, qui & ipsi, quæ facta sunt, caritati vestræ exponent: & nos quoque paucis, in epistolæ forma docebimus. Theophilus ille, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopatum regendum suscepit, cum a pientissimo rege, cui aduersus illum quædam nuntiata erant, iussus esset venire solus, collecta multitudine episcoporum non paucorum, huc venit: quo præludio, quasi declarare volebat, se ad bellum & ad aciem pergere. cumque in magnam, diuinoque cultui deditam urbem Constantinopolim ingressus esset, iuxta consuetudinem & constitutionem hæctenus obseruatam, non intravit ad ecclesiam, neque ad nos accessit, neque participem se fecit, vel sermonis, vel precum, vel communio-

Concil. Tom. 4.

K

nis: sed egressus e naui, & præterkursis ecclesiæ vestibulis, alicubi extra urbem diuersatus est, tametsi nos plurimum obsecraremus & ipsum, & eos qui cum ipso erant, vt apud nos diuerterent. Erant enim diuersoria, & omnia alia quæ oportebat, bene instructa. At neque illi, neque ipse nobis morem gerebant. Vnde nos ea videntes valde consternabamur animo: & quamuis iniustarum illarum inimicitarum causam nullam inuenire possemus, nihilo minus tamen officium eis, quod illi nobis debebant, impendimus. Nam iterum atque iterum eum obsecrauimus, vt se nobis coniungeret, ac diceret cuius gratia, statim ab initio tantum excitaret bellum, tantamque urbem seditiosam faceret. Verum, cum ille causam dicere nollet, neque vrgerent accusatores eius: vocauit nos rex pientissimus, & iussit vt iremus ad locum in quo ille agebat, reique summam ab eo audiremus. Nam infidias, & cædes, & alia plurima causabantur. Nos autem scientes leges patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam super hac re eius literas: Oportere in quibusque prouinciis sua negotia tractari, transmontanisque ad nostra iudicia non trahendos; fortiter detrectauimus, ne causam susciperemus iudicandam. Porro ille sicut & prius nobis obluçtari cœpit, & multa auctoritate vocato archidiacono meo, quasi iam ecclesia viduata esset, ac episcopum non haberet, clerum omnem sibi per illum adiunxit: factæque sunt ecclesiæ seditiosæ, & e singulis ecclesiis adducebantur clerici, & instruebantur, vt nos accusarent, & libellos aduersus nos producerent. Post hæc vocauit & nos ad iudicium, nondum dilutis quæ aduersum se erant causis, id quod contra omnes Canones & leges est. Porro nos scientes, quod non ad iudicium, sed ad hostem & inimicum perrecturi essemus, (id quod satis declarant, quæ prius ac postea sunt facta) misimus ad eum episcopos, Demetrium episcopum Pisinatium, Eleusium Apamiæ, Lupinum Apiariæ: presbyteros autem, Germanum & Seuerum, qui congrua lenitate responderent, ac dicerent: Non vitare nos iudicium, sed inimicum apertum, & hostem manifestum. Nam qui nondum acceptis libellis statim ab initio talia fecit, & seipsum abstraxit ab ecclesiæ precibus & communione, & infu-

per accusatores subornauit, clerum ad se traxit, ecclesiam defolauit : quomodo idoneus cenferi possit huiusmodi, vt in iudicis thronum conscendat sibi minime congruentem ? Neque enim congruum est, vt hi qui in Ægypto sunt, iudicent eos qui in Thracia, & præsertim ille qui ipse reus est, inimicus & hostis. At ille nihil horum reueritus, magno studio anhelabat, vt perficeret ea quæ mente conceperat. Cum autem contestaremur paratos nos ad diluendum crimina, & ad innocentiam, sicut & innocentes sumus, declarandam, coram centum, vel mille episcopis; non assensit : sed licet absentes essemus, & ad Synodum appellarem, & iudicium inquireremus, & non auditorium, sed manifestas inimicitias fugeremus; ipse tamen accusatores suscepit, meos excommunicauit, & de illis, qui nondum se de suis purgauerant criminibus, libellos collegit : quæ omnia legibus & Canonibus prohibita sunt. Et quid opus est multum dicere? non destitit omnia facere & tractare, donec nos vi, & potentia e ciuitate & ecclesia eiiceret, etiam in prouecta vespera, & vniuerso populo nos attrahente. Tractus igitur vi & abductus a magistratu ciuitatis, in media ciuitate, & in nauim coniectus per noctem nauigauit, eo quod ad Synodum & iustum iudicium prouocarem. Quis hæc sine lacrymis, etiam si cor lapideum habeat, audiret? Verum sicut prius dixi, ea, quæ perperam fiunt, non solum deploranda, sed & corrigenda sunt : & ideo caritatem vestram obsecro, vt prouocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quo mala hæc sistantur. Neque enim hic facinorum illius finis; sed ad priora adiecit & alia. Nam postquam eos qui ecclesiam inuaserant pietissimus rex eiecit, & multi episcopi qui aderant cognoscentes iniquitatem, & fugientes insidias illorum, quasi incendium depascens omnia, in suas regiones concesserunt, nosque iterum in urbem & in ecclesiam, a qua eieci eramus, vocati sumus, inducentibus nos episcopis supra triginta, & notario a rege pietissimo in hoc misso; ille statim aufugit, eo quod ingressi mox obsecramus Christianissimum regem, vt Concilium cogeret, quo facta hæc iustificarentur. Male conscius enim sibi erat, & reprehensionem pertimescens; & idcirco cum regis literæ in omnia loca mit-

terentur, & vndeque omnes congregarentur, occulte, mediaque nocte, & ipse & sui conscensa naui elapsi sunt. Porro, vtpote conscientia nostræ fidentes, non propterea destitimus, sed eadem iterum a Christiano rege rogauimus. Qui & pro sua pietate, missis ad illum nuntiis, eum & omnes qui cum eo erant ex Ægypto vocauit, vt rationem factorum redderent: neque sufficere putarent ad defensionem, quæ attentarant ex vna parte absentibus nobis, tam iniuste contra tot ac tantos Canones. Atqui regis literis ille non obtemperauit, sed domi mansit, prætexens seditionem populi, & intempestiuam festinationem: tametsi etiam illic erant qui ei reluctabantur: & populus quoque ante literas conuiciis eum innumeris abluerat. Verum hæc nos exacte prosequi nolimus, summatim nefarios illius conatus ostendentes. Itaque nos non quieuimus, sed in hoc incubuimus, orantes regem, vt haberetur iudicium, in quo agere, & respondere liceret. Dicebamus enim nos paratos ad ostendendum nos non esse reos, sed illos legum extremos transgressores. Erant autem relictæ hic Syri, qui cum eo adfuerant, & communiter omnia fecerant: ad quos etiam accessimus, ad dandam rationem parati: atque super ea re sæpe eos interpellauimus, obsecrantes, vt dignentur nobis libellos & commentarios accusationum dare, vel genus criminum, vel accusatores ipsos significare. Verum nihil horum obtinuimus: iterumque ex ecclesia eiecti sumus. Quod si quæ tunc contigerunt, & omnem excedunt tragœdiam, enarrare vellem; quis sermo ea explicaret? quæ auris sine horrore perciperet? Cum autem illa, quæ dixi, prætenderemus, ipso magna sabbato collecta manus militum, ad vesperam diei in ecclesias ingressa, clerum omnem, qui nobiscum erat, vi eiecit, & armis gradum vndique muniuit. Mulieres quoque, quæ per illud tempus se exuerant, vt baptizarentur, metu grauiorum insidiarum nudæ aufugerunt. Neque enim concedebatur vt se velarent, sicut mulieres honestas decet. Multæ etiam acceptis vulneribus eiiciebantur, & sanguine implebantur natatoria, & sancto cruore rubescebant fluentia. Neque hic rerum finis erat: nam & sanctuaria ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis ini-

tiatos mysteriis, & viderūt omnia quæ intus erant. Quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum vestes effusus est: fiebantque quasi in Barbarica captiuitate omnia. Vulgus enim in solitudinem fugabatur, populus omnis extra ciuitatem versabatur, erantque in tanto festo vacuæ ecclesiæ, & plures quam quadraginta episcopi, qui nobis communicarant, cum populo & clero sine causa fugabantur. Et ob prodigiosa flagitia, vbique per fora, per domos, per solitudines, per omnes ciuitatis partes, omnia lamentis, eiulatibus, fontibus lacrymarum, & id genus calamitatibus plena erant: & in tanto tumultu & trepidatione ac planctu erant omnia, vt non modo qui affigebantur, sed & qui nihil tale patiebantur; & non solum qui nostræ fidei erant, sed & hæretici, & Iudæi, & gentiles, quasi ciuitate capta, nobiscum dolebant. Talia ausi sunt præter sententiam pientissimi regis nocte profunda, episcopis hæc instruentibus, & vbique militatibus, nec erubescens, quod essent duces militum, & pro diaconis satellites præeuntes haberent. Facto autem die, omnis ciuitas extra muros sub arbores, & in nemora emigrauit, ibi festum diem celebrans, quasi oues dispersæ. Liceat vobis ex his & cetera omnia pensare: nam omnia quæ facta sunt, sermone complecti, vt dixi, impossibile est. Est autem & hoc perquam molestum, quod talia tantaque mala nullum adhuc finem accipiant: neque spes est, quod statim finiantur: sed augentur in dies magis ac magis, nosq; multis ridiculi facti sumus: imo ridet nullus, etiam valde peruersus, lugent autem omnes propter extremam & inauditam hanc malitiam, malorum facile colophonem. Quid si quis dicet de turbationibus etiam in aliis ecclesiis postea excitatis? Non enim hic cessauit hoc malum, sed vsque ad orientem peruenit. Nam sicut a capite, quod malis humoribus plenum, & reliqua membra corrumpuntur: ita nunc quoque tumultus, qui in hac magna ciuitate cœperunt, quasi ex fonte in omnia loca effluunt, & clerici vbique in episcopos insurgunt, & episcopi ab episcopis, & populi a populis scissi sunt, & alii propediem scindentur, & expectatur vbique malorum partus, orbisque totius subuersio. Igitur domini maxime

venerandi & pii, cum hæc ita se habere didiceritis, studium vestrum, & magnam diligentiam adhibete, quo retundatur hæc, quæ in ecclesias irrupit, iniquitas. Quippe si mos hic inualuerit, & fas erit cuius in alienam parochiam irrumpere, idque ex tantis interuallis, & eicere quos voluerit, & auctoritate propria quæque pro libidine sua facere; scitote quod breui transibunt omnia & totus orbis premetur bello non indicto, omnibus ab omnibus eiectis, & omnes eiicientibus. Quapropter ne confusio hæc omnem quæ sub cælo est nationem inuadat, obsecro vt scribatis quod hæc tam iniue facta, & absentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, sicut neque sua natura habent: illi autem qui iniue egerunt, pœnæ ecclesiasticarum legum subiaceant: nobis vero, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei, literis vestris & caritate vestra, aliorumque omnium, quorum scilicet & antea societate fruebamur, frui concedite. Si autem aduersarii nostri, qui ita iniue egerunt, adhuc fingunt crimina quædam, propter quæ nos iniuste eiecerunt, non datis nobis neque commentariis, neque libellis, neque manifestatis accusatoribus; agemus & tuebimur etiam nos libenter causam, monstrabimusque illos ipsos, non nos, reos esse eorum quæ nobis impungunt, sicut & plane innoxii sumus: & contra, quæ ab ipsis facta, contra omnem sunt honestatem, contra omnes leges, contra omnes ecclesiasticos Canones. Et quid dico Canones ecclesiasticos? Neque in gentilium iudiciis, neque in barbarorum tribunalibus talia attentata sunt vnquam. Neque Scythæ, neque Sauromatæ, vnquam iudicarunt, iudicium dandum vni parti, absente ea quæ accusatur, & vitante non iudicium, sed inimicitias, & inuocante multa millia iudicum, & protestante coram toto orbe declaraturam se non esse ream, depulsuramque crimina, & ostensuram suam innocentiam. Hæc igitur omnia cum ita se habere intellexeritis a Dominis meis pientissimis fratribus nostris episcopis, obsecro vt præstetis id quod petent officii. Quo non solum nobis gratificabimini, sed & ecclesiarum vniuersitati, mercedemque accepturi estis a Deo, qui nihil non propter ecclesiarum pacem fa-

cere dignatur. Semper vale, & ora pro me, domine dignissime & sanctissime.

NOTA.

^a *Ioannes.*] Ioannes Chrysoſtomus episcopus Conſtantinopolitanus, per factionem Theophili Alexandrini episcopi, instigante imperatrice Eudoxia, in exilium pulsus, & paulo post, ob populi seditionem, reuocatus, ac rursus, non multo post, per eandem factionem eiectus; Innocentium papam, legatis & literis missis, appellauit, vt pro sua auctoritate, se inimicorum factione oppressum, tueretur, & ecclesiarum perturbationi prospiceret. per eosdem etiam legatos scripsere quadraginta episcopi qui Ioanni communicabant, & clerus Conſtantinopolitanus. Innocentius rei indignitate vehementer commotus, Synodo Romæ habita, communionem quidem vtriusque partis admisit, sed Theophili iudicium irritum esse decreuit, & Synodum orientalium & occidentalium, missis legatis, fieri oportere censuit. Legati in scio imperatore, & imperatrice agente, male accepti, & vexati, cum nec mandatorum exponendorum facultas eis permissa fuisset, Romam reuerterunt. Interim Ioannes per diuersa loca raptatus moritur. Quibus omnibus Innocentius plurimum indignatus, imperatori & imperatrici sacris interdicit: Theophilum excommunicat, & deponit: Vrsacium, qui viuenti Chrysoſtomo substitutus fuerat, etiam defunctum, exautoratum, e numero episcoporum excludit: Atticum suspendit, & donec eius causa cognoscatur, Proclo Cyrici episcopo ecclesiam Conſtantinopolitanam regendam committit. Post vero, cum Arcadius, & in Ioannis calumniatores vindicasset, & absolutionem pro se atque vxore efflagitasset, Innocentius rescripsit. Confirmato animo accedite ad Dominica symbola, iubete Ioannis nomen sacris tabellis inscribi. Quæ enim aduersus Ioannem gesta sunt, nos auctoritate freti S. Petri eximii apostolorum principis, discussis causis doccimus ex animo sanguinario processisse. Sed de hac tota causa, vide Socr. lib. 6. Sozom. lib. 8. Palladium & Gregorium Alexandrinum in vita Chrysoſtomi; præter Nicephorum lib. 13. Baron. anno 404. num. 20. & sequentibus.

EPISTOLA XXVIII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD S. IOANNEM CHRYSOSTOMVM.

Ioannem Chrysoſtomum a sua ecclesia exulantem consolatur.

TAMETSI innocentem bona omnia expectare, & a Deo misericordiam petere conueniat: tamen nos quoque, qui tolerantia malorum suasores sumus, literas

Verſa e
Græco Ni-
ceph. Calli-
ſt. l. 13. c. 32.
Sozomen.
lib. 6. c. 26.

hæc, pro eo atque decuit, cum Cyriaco diacono ad te dedimus, ne aduersariorum iniuria plus possit quam bona conscientia, dum in spe cum illa luctatur. Non enim opus est doceri te tot populorum doctorem & pastorem, optimos quosque sæpe atque adeo semper probari, an in vigore patientiæ persistant, neque alicui dolorum labori cedant. Et est profecto res stabilis & firma, conscientia bona in malis, quæ iniuste accidunt, omnibus: quæ nisi quis patientia vincat, iudiciū de se malæ suspicionis præbet. Omnia namque sustinere debet, qui Deo primum, deinde suæ quoque confidit conscientia: quandoquidem bonus atque honestus vir exerceri ad patientiam maxime potest, vinci autem non potest. Nam mentem eius diuinæ custodiunt scripturæ. Abundant autem exemplis lectiones sacræ quas populo tradimus: & omnes prope sanctos variis modis & continenter malis afflictos esse cum fide attestantur; quippe qui tamquam in aliquo iudicio explorati, tandem sic ad coronam patientiæ peruenere. Consoletur igitur caritatem tuam, frater reuerendissime, conscientia tua, quæ in tribulationibus solatium virtutis obtinet. Inspiciente namque ipso Christo Domino, in portu pacis petra constabit conscientia.

EPISTOLA XXIX.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD CLERVM ET POPVLVM
CONSTANTINOPOLITANVM.

Commendat cleri & populi Constantinopolitani constantiam in ærumnis perferendis, quæ ei ob Ioannis Chrysoctomi exilium euenerant.

Innocentius episcopus, presbyteris & diaconis, totique clero & populo ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ sub Ioanne episcopo est, fratribus dilectis, salutem.

Ex Græco
Nicephori
lib. 13, c. 32.
Sozomen.
lib. 8, c. 6.

Ex literis dilectionis vestræ, quas per Germanum presbyterum & Cassianum diaconum ad nos dedistis, scenam malorum, quam ob oculos posuistis, anxia sollicitudine cognoui; & quibus ærumnis malisque fides laboret, repetita sapius lectione perspexi. Cui rei sola patientiæ conso-

conso-

consolatio medetur. Dabit enim breui Deus noster afflictionibus tantis finem, quas sustinuisse proderit. Sed enim hanc ipsam necessariam consolationem, in initio epistolæ dilectionis vestræ positam, consilium propositumque vestrum laudantes, intelleximus, multa patientiæ testimonia complectentem. Consolationem namque nostram, quam ad vos scribere debuimus, literis ipsi vestris præoccupastis. Eam siquidem laborantibus Dominus noster præbere patientiam solet, ut in ipsis tribulationibus seipso Christi serui solentur; secum ipsi reputantes, eadem antea sanctis, quæ ipsi patiuntur, accidisse. Sed & nos ex ipsis literis vestris afferre vobis solatium possumus. Non enim ab eo, ut vobis condoleamus, alieni sumus: siquidem & nos in vobis affligimur. Quis namque ferre possit, quæ ab illis designantur, quos maxime conueniebat pacificæ tranquillitatis & concordie studiosos esse? Nunc insolito more sedibus ecclesiarum suarum innocentes eiiciuntur episcopi. Quod sane primus frater & collega noster, episcopus vester Ioannes, per iniuriam est passus, causa indicta, & crimine neque obiecto neque audito. Quæ vero hæc prohibita ratio est, ut iudicii specimen non seruetur, aut de causa non quærat? In locum viuentium episcoporum alii subrogantur, quasi qui ab eiusmodi delictis prorumpunt, a quopiam iudicari possint recte quidquam vel dicere vel facere posse? Nunquam sane patres nostros talia ausos fuisse, sed potius vetuisse cognouimus, ne cui in locum viuentis per consecrationem alium substituendi sit potestas. Minime enim consecratio siue electio reprobæ honorem adimere episcopo potest: quandoquidem neque episcopus ille esse potest, qui inique substituitur: quoniam hæc contra Canonum obseruationem sunt. Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicææ sunt decreti: quos solos consecrari decet ecclesiam catholicam, & iuxta eos iudicare. Si in aliis a quopiam proferuntur, a Nicænis Canonibus dissonantes, & hæreticos auctores referentes, ii a catholicis episcopis reiiciuntur. Hæreticorum namque inuenta catholicis Canonibus non sunt annectenda. Semper enim illi per contraria nefaria decreta, patrum Nicæanorum Concilium minuere intendunt.

Concil. Tom. 4.

L

Quapropter non solum hoc dicimus, istos sequendum non esse, verum etiam cum hæreticis & schismaticis seu dissidiosis dogmatibus condemnandum: quemadmodum antea in Sardicensi Concilio ab episcopis, qui nos præcesserunt, factum est. Nam quæ sic perperam inducuntur, magis damnare conuenit, quam vt quæ directe contra Canones statuuntur, aliquam habeant, fratres reuerendissimi, firmitatem. Ceterum quid contra istos in præsentia agendum? Synodali cognitione peropus est, quam dudum etiam cogendam esse censuimus. Sola enim illa talium procellarum motus sopire potest: quam vt obtineamus, vtile nunc fuerit medicinam & opem hanc ad voluntatem magni Dei & Christi eius Domini nostri referre. Omnia quæ diaboli inuidia ad fidelium explorationem sunt perturbata, pacabuntur. Stabilitate fidei nihil non sperare a Domino debemus. Nos quidem multum deliberamus & dispicimus, quomodo vniuersalis Synodus congregetur, vt de voluntate Dei turbulenti isti motus compescantur. Itaque interea sustineamus, & patientiæ muro circumuallati, omnia auxilio Dei nostri restitutum iri speremus. Quæcumque vero vos sustinuisse scripsistis, ea quoque omnia antea, quamuis diuersis maxime temporibus, a collegis vestris episcopis, Demetrio, Eulyfio & Palladio, qui Romam venerunt, & nobiscum fuerunt, percunctatione accurata cognouimus.

EPISTOLA

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI

AD INNOCENTIVM PAPAM.

Pontificis summam sollicitudinem in ecclesiæ perturbationibus sedandis laudat, eique de paterna erga se beneuolentia gratias agit.

Innocentio episcopo Romæ, Ioannes in Domino salutem.

Scripta anno 406. cum foret in exilio.

CORPVS quidem nostrum vno eodemque loco tenetur, & stabilitum est: animus autem caritatis ala in vniuerso orbe circumuolitat. Proinde licet tanta

itineris intercapedine separati sumus, a pietate tamen vestra non absumus, sed quotidie vobis præsentem sumus. Animi enim oculis videmus vestram illam fortitudinem, & sinceram affectionem, constantiamque non mutabilem, & quod vos consolari nos plurimum & perpetuo cupiatis. Quanto enim fluctus extolluntur sublimius, & plures latent scopuli, vehementioresque venti sunt & tempestates, tanto & vigilantia vestra augetur. Neque vos tanta viæ prolixitas, neque tantum temporis intervallum, neque causarum difficultas segniores reddidit: sed perseveranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maxime vigiles sunt, quando elevari fluctus, & mare intumescere, & multas aquas in nauim inundare, gravissimamque interdum noctem ingruere vident. Eapropter & gratias vobis habemus multas, & desideramus quidem ad vos dare crebras literas, id quod nobis maximo foret solatio. Verum quia solitudo huius loci in tantum vos a nobis separat, neque facile ad vos peruenire valent hi qui nobiscum agunt, vel etiam qui in vicino habitant, tum quod in extremis finibus locus ille situs est, tum quod latrones vias illas undique obsident; precamur ut diuturnum silentium nostrum efficiat, quod magis nobis condoleatis, quam quod nos reos putetis negligentia. Neque enim contemptus in causa est, quod tacuimus. Nunc enim multo tempore venerabilem, & dilectum Ioannem presbyterum, Paulumque diaconum in hoc tenuimus, ut scriberemus. Perpetuas enim vobis gratias agimus, quod paternam erga nos benevolentiam declarasti. Nam quantum in vestra pietate situm fuit, iam res omnes sedata & emendata, & sublata omnia scandala fuissent, gauderentque ecclesiam tranquilla & sincera pace: & essent plane secunda omnia, neque contemptæ leges, neque violatæ patrum constitutiones forent. At illi in suis impiis operibus pergunt, & quasi antea nihil attentarint, ita priora malefacta recentibus vincere certant. Nolo autem omnia, quæ interim gesta sunt figillatim recensere, quandoquidem non solum epistolæ, sed & historiae modum transcenderet narratio. Ceterum vestram oro vigilantiam, quod licet illi omnia tumultibus impleuerint, laborauerintque morbis incurabilibus,

& pœnitentiæ non capacibus: si tamen curari morbo voluerint, ne affligantur, neque e cœtu abiiciantur, considerata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud ferme totius orbis est. Ecclesiæ vsque ad genua humiliatæ sunt, populi dispersi, clerus diuexatus, episcopi exules, constitutiones patrum violatæ. Et idcirco iterum atque iterum, & sapius vestram oro diligentiam, vt quanto maior est tempestas, tanto maius adhibeatur studium. Expecto quidem futurum, vt aliquanto amplius corrigantur. Quod si minus fiet, vos vestram coronam paratam apud misericordem Deum habebitis: & hi qui iniuria afficiuntur, consolationem ex incremento caritatis vestræ non minorem accipient. Nam & nos tertium nunc annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, & Isauricis gladiis: & non mediocriter nos consolantur solida vestra fides & caritas, quæ se in me tam tenui & simplice oblectant. Hic noster murus, hæc securitas: hic portus absque fluctibus, hic multorum bonorum thesaurus, hæc lætitiæ mirificæque voluptatis causa est. Et si in desolatiorem, quam ille est, locum iterum abigemur, non paruam hinc habentes nostrarum afflictionum consolationem, abimus.

EPISTOLA XXX.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD ARCADIVM IMPERATOREM.

Excommunicat persecutores S. Ioannis Chrysostomi.

Ex Niceph.
lib. 13. c. 34.
scripta post
Chrysostomi
in exilio
mortem, an-
no 407.

VOX sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra te, o imperator, sicuti quondam Abel iusti contra parricidam Cain: & is modis omnibus vindicabitur. Nec id modo admisisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnam aduersus Deum & ecclesiam eius concitasti. Eiecisti e throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis doctore, & vna cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror, (sortem enim seu hereditatem cum sanctis apostolis in Dei & seruatoris nostri Iesu Christi regno consecutus est) quamuis intolerabilis ia-

Cura ea sit: sed affigor propterea, quod primum de animarum uestrarum salute, deinde de eis qui sapientissima, spiritali & diuina doctrina & institutione eius orbat, fame uerbi Dei conficiuntur, sum sollicitus. Non enim ecclesia tantum Constantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit, sed & orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est, viro tam diuino amisso, persuasione unius mulieris, fabulam hanc & spectaculum exhibentis. Verum excipiet illa & præsentem hic pœnam & futurum sempiternum supplicium non post multos hosce dies ei adueniens. Tametsi enim beatus Ioannes vitam reliquit, fide seruata & fluctuantibus confirmatis: in aeterna tamen sæcula sempiternarum deliciarum & immortalis uitæ hereditatem est consecutus. Noua autem Dalila Eudoxia, quæ paulatim te erroris seu seductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi induxit, graue, & quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens. Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni apostoli Petri creditus est, segrego te & illam a perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut clericum ordinis sanctæ Dei ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea uobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentis uinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno. Quod si, ut homines potentes, quemquam ad id uidegeritis, & Canones uobis a seruatore per sanctos apostolos traditos transgressi fueritis, scitote non paruum id uobis peccatum fore in horrenda illa iudicii die, cum neminem huius uitæ honor & dignitas adiuuare poterit, arcana autem & abdita cordium sub oculos omnium effundentur atque exhibebuntur. Arsacium, quem pro magno Ioanne in thronum episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, una cum omnibus qui consulto cum eo communicarunt episcopis: cuius etiam nomen sacro episcoporum albo non inscribatur. Indignus enim eo honore est, ut qui episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quæ a patre nostro in cælis plantata non est, eradicabitur. Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum, & absolutam a Christianismo alienationem.

Eudoxiam imperatricem notat, qua instigante eictus fuerat B. Ioannes Chrysostramus. Prædicationem probauit euentus, nam paulo post uita excessit imperatrix.

EPISTOLA
ARCADII IMPERATORIS
AD INNOCENTIVM.

Respondet precedenti.

Ex Glyca
annal. part.
4.

NORVNT omnes homines mentis compotes, commissa per ignorationem nec diuinitus nec per leges puniri, neque adeo quemquam alterius nomine supplicium luere. Quod quidem propterea scripsi, vt mansuetudinem tuam certam redderem, nos nihil eorum cognitum habuisse, quæ nostris antistitibus & clericis acciderunt: cuius rei testem benignum illum Deum imploramus. Nimirum purus & innocens sum, quod ad ipsorum condemnationem attinet: quippe cum eorum communionem sim vsus, causæ nihil erat, quamobrem eos affligeremus. Quod autem attinet ad filiam tuam Eudoxiam; scito me illi parum moderate pro ratione delicti mercedem retulisse: quo sane factum est, vt ex eo mœrore & angustia, difficili grauissimaque correpta ægritudine decumbat. Igitur quod superest, enixe te obsecro, vt nos a segregatione liberes, nec multipliciter punias: non enim ipse Dominus idem ob delictum bis hominem percutit.

EPISTOLA XXXI.
INNOCENTII PAPÆ I.
AD THEOPHILVM ALEXANDRINVM
Episcopum.

Theophilo scribit neque ipsum neque S. Ioannem Chrysostomum a sua communionem alienos esse; quod si ipse contra Chrysostomum acta iusta esse confidat, ad Synodum, vbi illius causa agatur, accedat.

Ex Palladio in vita
B. Chrysof.

FRATER Theophile nos & te & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus, sicuti & in prioribus literis aperte satis expressimus, & nunc in sententia nostra, & voluntate perdurantes, rursus eadem scribimus. Et quotiescumque scripseris, nisi debitum sequatur, conueniensque iudicium, propter ea, quæ ma-

gno cum dedecore sunt gesta, possibile non est, nos a Ioannis communione discedere. Itaque si conscientiaē confidis, tu quoque iudicio accurre ad Synodum proxime in Christo celebrandam, & illic iuxta Nicæni Concilii Canones & Decreta contende. Alios quippe Canones Romana non admittit ecclesia. Quod si obtinueris, euidens & irrefragabilis erit ratio tua.

EXEMPLVM SACRÆ HONORII
AVGVSTI MISSÆ AD PRINCIPEM
orientis Arcadium.

Cum Honorius S. Ioannem Chrysostomum iniuste in exilium pulsum, facinora ob id in ecclesia perpetrata, & templi Constantinopolitani incendium non sine magno animi dolore cognouisset; Arcadium fratrem hortatur, ut hac corrigat atque emendet, asserens episcoporum causas non principum iussu, sed episcoporum Concilio, ac Romani pontificis auctoritate tractandas & definiendas esse.

QVAMVIS super imagine muliebri nouo exemplo per prouincias circumlata & diffusa per vniuersum mundum obtrectantium fama literis aliis commonuerim, vt talis facti pœnitentia, & intermissione propositi, rumor æmulus consenescat, & quod in moribus temporum carpat publica lingua non habeat. Quamuis etiam super excidio pereuntis Illyrici pio apud vos prodiderimus affectu esse nobis dolori, cur ista vos detrimenta reipublicæ nolueritis agnoscere, & aliis potius indicibus, quam pietatis vestrae literis fuerint nuntiata: tamen ne illud quidem apud serenitatem vestram dissimulare nos fas est, quod in rebus diuinis non sine publici discriminis metu, nuperrime contigisse, cita semper malorum enuntiatrice fama non tacuit: & vt natura fert hominum, quæ ad obtrectandum nouis semper casibus excitatur, oblata occasione carpendi, malitiam suam in tempora, studio sæuæ loquacitatis, exercet. Est enim nuper proditum apud Constantinopolim, sacratissimo Paschæ venerabilis die, cum omnes pene in eundem locum vicinarum vrbiū populos religio castigatiore sub præsentia principum ritu celebranda collegerat, clausas subito catholicas ecclesias, trufos in custodiam sacerdotes, scilicet,

In carcere detenti paschatis die principum indulgentia liberantur.

Episcoporum est religionis causas terminare: imperatoris vero religioni obsequium præstare.

Pallad. in vita S. Ioan. Chrysof. ante medium. Sozom. lib. 8. c. 22.

vt eo potissimum tempore, quo indulgentia principali tristitia noxiorum claustra referantur, piæ legis, & pacis ministros, sæuus carcer includeret, omniaque bellicum in modum turbata mysteria nonnullos in ipsis ecclesiæ sacrariis interemptos, tantamque circa altaria vim sæuisse, vt & venerabiles episcopi in exilium truderentur, & sanguis humanus (quod dictu nefas est) cælestia sacramenta perfunderet. His repente compertis, turbatos esse nos fateor. Quis enim in facinore tam cruento Dei omnipotentis non timeret offensam? Aut quo pacto extra summum Romani orbis, omniumque mortalium putaret esse discrimen? cum ipse auctor nostri imperii, & reipublicæ, quæ nobis credidit gubernator omnipotens Deus, funestis admodum execrabilibusque commissis crederetur irasci, Domini sancti, frater neposque Augusti venerabiles, cum si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium. Sed esto sibi de mysticis, & catholicis quæstionibus amplius aliquid principalis cura præsumpserit, itane vsque ad exilia sacerdotum, vsque ad hominum cædes debuit indignatio concitata procedere, vt vbi castæ preces, vbi vota sincera, vbi sacrificia illibata soluuntur, illic se gladius haud facile etiam in iugulum noxiorum distringendus exerceret. Rebus denique ipsis docetur, quid super his senserit diuina Maiestas. Primum quidem hoc præsentis commotionis iudicium fuit: atque vtinam solum: facit enim humana trepidatio tanti sibi conscia perpetrati, vt grauius aliquid (quod auertat omnipotens Deus) post terribilis vltionis experimenta metuamus. Audio ecclesiam sacrosanctam tot imperatorum opibus expositam, preciosis cultibus nobilem, tanta supplicantium principum oratione augustissimam flagrasse, & illud Constantinopolitanæ vrbis vnicum lumen in fauillas dilapsum, Deo non vetante fumasse, (execrari enim videtur inquinata mysteria) & auertisse oculos ab eo loco, quem iam sanguis infecerat, ne obsecrare quis pietatem cælestem sub cruentis posset altaribus, ædificia quoque diuina non minore splendore nobilia ex concitatione sæuientis incendii, flamma se latius effundente, consumpta,

sumpta, & quæ publicam faciem elaborata maioribus nostris ornamenta decorabant, velut quodam vr̄bis funere concremata. Hæc ego quamuis crebris iniuriis lacessitus tacere debuerim, nec coniunctissimum fratrem, regni-que consortes tam fideliter admonere; tamen necessitudinem sanguinis stimulo taciti doloris anteferens, hortor, atque suadeo, vt hæc, si fieri potest, emendatis in posterum moribus corrigantur, ac diuina iracundia, quantum re proditur excitata, votorum sedulitate placetur. Accipite a me summum simplicitatis indicium. Idcirco hoc clementiæ vestræ insinuandum putavi, ne me velut gratulatione occulta faceret apud quemquam taciturnitas ipsa suspectum, neve quis crederet me talibus factis præbere consensum, & qui sæpe ne acciderent commonuerim, posteaquam commissa sunt, non dolerem. Nam quis esse posset expers doloris, qui se meminit Christianum, tantam subito perturbationem religionis inductam, vt omnem catholicæ fidei statum necesse sit fluctuare? Erat inter episcopos causa, quæ collato tractatoque consilio deberet absolui: missi ad sacerdotes vr̄bis æternæ atque Italiæ vtraque ex parte legati, expectabatur ex omnium auctoritate sententia, informatura regulam disciplinæ: integrum nempe esse debuerat, neque quidquam nouari, dum definitio deliberata procederet, cum interea mirum quoddam præcipitium festinationis exarsit, vt non expectatis literis sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus in exilium truderentur antistites; animaduersioni prius addicti quam sententiam iudicii episcopalis experti. Denique quam immatura illa damnatio fuerit, res probabit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas, pacifica Ioanni episcopo communionem permissa, fanciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante iudicium consortio repellendum. Quid nunc aliud superest, quam vt catholicam fidem schismata in diuersum dissociata dilacerent, quam vt hæreses communioni semper inimicæ ex tanta gestarum rerum varietate nascantur, vt iam populo pene non debeat imputari, si forte in dissonas partes sectarum diuersitate discedat, cum ex auctoritate publica discordiarum materies sit præmissa, & fomes quidam

A sede apostolica in episcoporum causis sententia fertur.

Nullus in dicta causa damnandus.

nutriendæ seditionis animatus. Quod ne in magnam aliquam generis humani perniciem recrudescat, vota faciendâ sunt, vt ad humanas prolapsiones patiens Deus rem male gestam prosperet ac secundet. Nam quantum in nobis est, possumus timere quod gestum est, quantum ad pietatem semper placabilis Dei non erit meriti impunitas indulta, sed veniæ.

EPISTOLA XXXII.

INNOCENTII PAPÆ I.

AD IOANNEM HIEROSOLYMITANVM EPISCOPVM.

Cum Ioannes Hierosolymorum episcopus Origenis errores sequeretur, Hieronymus apud Bethlehem degens, alique permulti ab eius communionem abstinebant. Quamobrem Ioannis opera multis affecti sunt malis, de quibus Eustochium & Paula apud Innocentium pontificem conquesta sunt, malorum auctorem & causam reticentes: propterea Ioanni Innocentius scribit, vt diligenter ecclesia sua prospiciat, & istiusmodi mala corrigat.

S. Hieron.
in epist. 61.
ad Pam-
mach.

DIREPTIONES, cædes, incendia, omne facinus extremæ dementiæ, generosissimæ sanctæ virginis Eustochium & Paula deplorauerunt in locis ecclesiæ tuæ perpetrasse diabolum: nomen enim hominis, causamque reticuerunt. Quod etsi ambiguum non sit a quo commissum, oportuit tamen custodire germanitatem tuam, & gregi illius sollicitius providere, ne quid huiusmodi oriretur, quod cum aliorum periculo tua laceffit negligentia amittere gregem Domini, & tales agnas incendio, armis & persecutionibus nudas, debiles, post suorum cædes & mortes vix viuere audiuimus: nihil mouet pietatem illam sacerdotii tui de tanta diaboli in te atque in tuos potestate admissa: in te inquam: prorsus enim sacerdotis grauitatem condemnat tantum nefas in ecclesia fuisse completum. Vbi prouisiones tuæ? vbi certe, si casus euenerant, auxilia vel consolationes? cum plus se adhuc metuere dicant, quam conqueruntur esse perpeffas, altius censerem, si essent aliquid de hac re mecum apertius collocutæ. Vide, frater, antiqui hostis insidias, & spiritu boni rectoris peruigila, vt hæc, quæ ad nos opinione magis quam accusatione manifesta delata sunt,

vel corrigantur, vel retundantur; ne ius ecclesiasticum de labefactatis causis eum qui non defenderit, præstare compellat.

EPISTOLA XXXIII.
INNOCENTII PAPÆ I.

Hieronymum consolatur ob mala quæ perpessus fuerat, ac Iohanni Hierosolymorum episcopo ait se scripsisse, vt prouideat, ne deinceps in sua ecclesia hæc contingant.

Dilectissimo filio Hieronymo presbytero, Innocentius.

NVNQVAM boni aliquid contentionem fecisse in ecclesia testatur Apostolus, & ideo hæreticorum correptiones primum fieri iubet, magisque diuturna duci collatione. Quæ regula dum negligenter aspicitur, malum non vitatur, quod cauendum est, sed augetur. Tamen quoniam dolor gemitusque tuus ita quatit viscera nostra, vt ratio non tractandi consulendique sit: primum constantiæ tuæ alloquor fidem. pro veritate quisque iniuria, aut (vt dicis) periculo percellitur, qui expectat beatitudinem, multis sæpe narraſtis, & tuæ verbis prædicationis bene memorem commonemus. Itaque excitati tanta malorum scena, arripere auctoritatem sedis apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinauimus; sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut iudices competentes tribuam, aut si aliquid vrgentius sollicitiusque nobis fieri potest, non retardabo, fili dilectissime: tamen episcopo fratri meo Iohanni scripsi, vt circumſpectius agat, ne quid circa ecclesiam sibi creditam adhuc tale aliquid fiat, quale præuidere, & propellere ne accideret, vel ne accidat, etiam ipsi sit & postea molestissimum.

EPISTOLA XXXIV.

INNOCENTII PAPÆ I.

Quod facere potuit, se Hieronymi causa fecisse dicit.

Dilectissimo fratri Aurelio Innocentius episcopus.

PISSIMAM etiam ad nos perueniendi tuam affectionem bene compresbyter noster credidit Hieronymus: compatimur gregis nostri membro, & quod faciendum duximus, vel facere potuimus, sumus velociter executi. Germanitas tua, frater carissime, citius literas memorato reddere festinet.

CONCILIVM MILEVITANVM ^b I.

GENERALE

SVB INNOCENTIO

Kalendis Septembris^c anno Christi 402. habitum

ACTA illius Græce & Latine extant infra in Concilio Africano, quæ sic incipiunt: ^a *Gloriosissimis imperatoribus Arcadio & Honorio V. consulibus VI. Kalendas Septembris*; reliqua in dicto Africano Concilio infra require.

ANNO
CHRISTI
402.

NOTÆ.

Locus Con-
cili.

^a *Concilium Mileuitanum.*] Sic dictum a Mileui, qui est Africae propria locus, teste Abrahamo Ortelio in thesauro geographico. Mileuitanae regionis & ciuitatis meminit S. August. epist. 129. & 168. Vnde liquide apparet errare eos, qui hoc Concilium in Melita insula habitum scribunt.

Acta Con-
cili.

In hac Synodo post confirmata synodalia Decreta, diuersorum episcoporum causæ in medium adlatæ sunt. Cresconii Villaregiensis episcopi causam, ante omnes alias in iudicium deductam esse, constat; sed quid in ea decretum ac constitutum fuerit, non apparet. Post hanc tractata fuit causa Quodvultdei Centuriensis episcopi, de qua illud a patribus definitum, quod Canon hic, & sub titulo de iudiciis in Decretaliũ libro secundo editus habet. Tertio lectus est libellus Maximiani Vagiensis episcopi, qui cum ex Donatistarum schismate ad ecclesiam catholicam conuersus non pacifice a populo recipere- tur, bono pacis consulens, significabat se suæ sedi renuntiare; rogans etiam, vt ad bene consulendum paci ecclesiasticæ, alius in locum